

Q. F. F. Q. S.

11.

DISSERTATIO PHILOLOGICA;  
DE

RE VESTI-  
ARIA,

*Quam*

DIVINA ADSPIRANTE GRATIA,  
Adprobante Reverenda FACULT. PHILOS.

In Regia ad Aoram Universitate

*Sub Moderamine*

CELEBERRIMI VIRI

DN. CHRISTIERNI  
ALANDRI,

Humanitatis PROFESS: Celebratissimi,

*Pro Gradu in Philosophia*

Bonorum censuræ modeste sistit

Ad diem 25 Novemb. Anno 1703.

S. R. M. Alumnus

JOANNES NEELMAN

OSTRO-GOTHUS.

Exc. Jo. Wal.

Jacob Malm

*Neelman*

11

REGIÆ ACADEMIÆ ABOENSIS

RECTORI

*MAGNIFICENTISSIMO*

DN. JOHANNI

FLACHSENIO,

S. S. Theologiæ DOCTORI

Excellentissimo,

Ejusdemq; Fac. PROFESSORI Primario

Consummatissimo,

Consistorii Ecclesiastici VICE-PRÆSIDI

Gravissimo,

ARCHI-PRÆPOSITO dignissimo,

nec non PASTORI ad Ædem Divæ

Mariæ dudum meritissimo,

MÆCENATI & PROMOTORI Maximo,

Humilima animi reverentia &

obsequio ætatem deve-

nerando

*SALUTEM & ANNOS!*

**M**AGNE VIRUM nostris prae grandis Gloria  
Musis

Sceptra MAGNIFICIS condecorate manus,  
MÆCENASq; meis Summè celebrande diebus,  
Spiritus hos dum artus, Et fovet ossa calor.  
Ille favor summus, numerosa laude ferendus,  
Quo me dignaris perpetuoque foves,  
In causa est audet tenuis quod nostra Thalia,  
Magnis pro meritis munera parva dare.

Traxit ad hæc Bonitas TUA me, Clementia suavit.  
Omnibus exhaustum TU miseratus eras.  
Ut natumque foves utroque Parente carentem.  
Hinc accepta TIBI quæ mea cunque bona  
Ni referam, male gratus ero, cui tot benefacta  
Exciderant animo, debita honore coli.

MAGNE PATRONE TIBI grates persolvere dignas  
Non opis est nostræ. præmia digna ferat  
Qui mare, qui terras, qui cælum Numine complet,  
Supplicibus votis assiduisque precor!

Vive diu felix omnique ex parte beatus,  
MÆCENAS Musis Gloria magna, Salus!  
Nominis ante mei venient oblivio pigra  
Pectore quam Bonitas sit Tua pulsa meo.

MAGNIFICI DN. RECTORIS

devotissimus servus

J. Neelman.

VIRO

Eruditione & morum innocentia

CLARISSIMO

DN. JOANNI NEELMAN,

Philosophiæ Candidato meri-  
tissimo,

*Autori dissertationis eruditæ*

DE VESTIUM

indole variâ.



QU TU VESTRALIOS, ita, ni fors  
læva negaret,

Te, prout es meritus, laudibus  
induerem.

Nunc inhonoratum quia linquere  
cogor Amicum,

Victus agendorum pondere, cre-  
de, queror.

*Excusabundus scribeb.*

TORST. RUDEEN.



I. I. N.

CAP. I.

§. I.

*Diversam nuditatis primæ & hodiernæ conditionem. subligacula Protoplastorum. vestes de peccato & corruptione nostra testari. §. 2. Ultimam vestis originem. pelles agninas primas vestes fuisse. §. 3. Etymon vestis, unde Vesta & Vestibulum.*



OMO, mundi illud miraculum, omniumque creaturarum dominus & princeps, ut ad imaginem & similitudinem Creatoris sui initio conditus erat; ita qua mentem & corpus, nihil ornatus, nihil perfectionis ipsi deerat: illâ namque nihil præstantius, in qua divinitas Creatoris clarissime elucebat; hujus unumquodque membrum, innatum habebat decus & ornamentum. Aliarum verò dotum, quibus gaudebat vere divinis, non minima erat innocens sua, & ante lapsum honesta nuditas, continentiæ & firmitatis concessæ, argumentum evidentissimum. cujus be-

neficio ab omnibus incommoditatibus ac inju-  
 riis, quæ naturali suæ dispositioni vim ac cor-  
 ruptionem inferre poterant, immunis erat.  
 Adeo ut non minus vere quam eleganter dixerit  
 B. D. Calov. (a) *Cum naturam & morum in-  
 tegratam; membrorumque συμμετρίαν & ἀρ-  
 μοσίαν perfectam, tum continentiam & justis-  
 siam, nuditas primæva testabatur.* Hinc igitur  
 nil quicquam ad ornatum desiderabatur.  
 Quid enim vel tantillum hominem præstantio-  
 rem redderet? Ideo & vestibus facili negotio  
 carebant Protoplasti: *nihil quippe putabant  
 velandum, cum nihil sentiebant refrenan-  
 dum,* inquit Augustinus. (b) Quod vero  
 nunc nobis pudori est *nuditas* nostra, argu-  
 mento est, ex deplorando lapsu, amissa ima-  
 gine DEI, corpora nostra, non solum cala-  
 mitatibus tam intus quam extrâ nobis ruinam  
 minantibus, exposita esse; Sed & solutam esse  
 intus amicam rationis & affectuum harmoniam:  
*hincq; turpem nuditatem velandam esse.* Cujus  
 rei Primi Parentes Specimen dederunt, qui sta-  
 tim, deprehensa hac sua nuditate, consuerunt  
 sibi folia ficus & fecerunt sibi *תריץ* subliga-  
 cula, (c) *ut saltem nuditatem carnis, cum e-  
 jus libidinem non possent, tenerent.* (d) Sub-  
 ligacula hæc Augustinus (e) *Campestris* ap-  
 pellat, sumtâ similitudine à juvenibus, qui o-  
 lim in campo Martio luctando exercebantur,  
 & qua genitalia ejusmodi campestribus suc-  
 cin-



incti erant, cætera vero nudi. Erat vero campe-  
 pestre propriè vestis quædam linea tenuis,  
 hyeme inutilis, quia totius corporis nihil præ-  
 ter inguina rexit. Uode Horat. (f)

*Penula solstitio, Campestre nivalibus auris.*  
 Ergo ut campestre illud Adami indicat quam  
 agone malo in campis Paradisi certaverit, per-  
 hiberque testimonium inobedientiæ; Sic vestes  
 nostræ, delicti & rebellionis nostræ clarissima  
 existunt signa. Quod vel ipsa ὀνομασθεῖα ve-  
 stium Ebræa assertum it: Ebræis namque ve-  
 stis לבוש quasi ex particula ל ושׁ erubuit,  
 composita, audit. Idipsum quoque innuit vo-  
 cab. כגד (g) à rad. כגד perfidus fuit, forte  
 quod sit primi hominis contra DEUM perfidi-  
 diæ testimonium. Vid. Buxtorf. in dicto vo-  
 cabulo.

(a) *Bibl. Illustrat. c. 3. Gen. v. 7.* (b) *De Civit.  
 DEL lib. 14. 17.* (c) *Gen. 3. v. 7.* (d) *Cunrad.  
 Diet. Antiquit. Bibl. V. T. p. 89.* (e) *dicto  
 loco* (f) *lib. 1. Epist. 9. v. 18.* (g) *Lev.  
 13. v. 47.*

§. 2. Tantis malis implicitorum Proto-  
 plastorum, DEUS multæ misericordiæ & be-  
 nignitatis, non uno modo misertus est. Cum  
 enim de Salutis mediis illis benignè providise-  
 set, promulgata de benedicto semine gratiosa  
 promissione, etiam corporis curam egit pa-

terne, conficiendo illis כַּתְמוֹת עֹר tunicas  
 pelliceas. ( a ) Non ut brutis quam DEO es-  
 sent similiore, nec quod Creatori omnipoten-  
 ti aliæ vestiendi rationes non supeterent; sed  
 ut nuditatem suam commodius tegerent; &  
 de sola justitiæ admonerentur, quam CHRIS-  
 TUS agnus ille DEI, peccatorum nostrorum  
 pellibus quasi vestiendus, ipsis paraturus erat;  
 quam fide induere, sibi que applicare debe-  
 bant ( b ). Erant verò pelles istæ non tunc im-  
 mediatè creatæ, sed animalibus, agnis puta vel  
 hædis, in Sacrificiorum usum adhibitæ, detra-  
 ctæ. Valdè namque probabile videtur sacrifici-  
 a hac occasione instituta esse, ut promissio  
 de promisso Messia Protoplastis data, aliquo  
 externo signo confirmaretur. Sic namque in-  
 fit Cuntad. Dietericus: ( c ) *Quantumvis non  
 expresse mentio occurrat Adamitici alicujus  
 Sacrificii, pia tamen veterum est conjectura, è  
 pellibus ovium Sacrificialium mactatarum &  
 combustarum, divinitus Adæ & Evæ factas & in-  
 dutas fuisse vestes.* Erant quoque oblationi-  
 bus assueti primi homines, Abel puta & Cain;  
 ( d ) ergo illos hæc Sacra ab aliquo doctore  
 edoctos esse necessario sequitur: cum ad ea fa-  
 cienda non fortuito aliquo consilio, vel hu-  
 mana ratiocinatione, sed divinitus concessa  
 cogitatione indueli erant. Quod ex Euseb. di-  
 lucide probat dicitur Dietericus, ( e ) cujus  
 hæc



hæc verba: τὰτε δὲ τὸν λογισμὸν ἠγάμα εἶνα, ἔ τὸν τοχόντα, ἔδὲ ἀνθρώπινως κεκνημένον, κατὰ θεῖαν δὲ Ἰπνοίαν ὑποθεβλημένον. Sed hæc ex occasione.

(a) Gen. 3. v. 21. (b) Joh. Gerbard. in Gen. 3.

(c) Antiquit. Bibl. V. T. p. 206. (d) Gen. 4.

(e) loco citato p. 208.

§. 3. Antequam ad hujus argumenti ulterio-rem me confero explicationem, cum in evolutione vocis Vestis qua suos natales, quam prima hujus opellæ frons præ se fert, nonnihil momenti esse videatur, paucis id exequar. Deducit ergo vocula vestis suam originem, vel à Græco ἑσθῆς (quod ab ἔω induo) ad eundem modum ac ab ἴς vis, ab ἑσπέρα vespera, derivatur, præponendo scilicet V consonans ex antiquo Æolum digammate B conflatum; quod in per plurimis vocabulis latina civitate donatis solenne est. Vel, si ad Latinos suam referat originem, non incommode à Vesta elicitur, quæ sic dicta ut Servio placet, quod variis vestita sit rebus; (a) vel ut Ovid. (b).

*Stat vi terra sua, vi stando Vesta vocatur.*

Vel, quæ sententia Vossii (c) est & Kippingii (d). Δεὶ τὴς ἑσπίας: Quod vocabulum teste Bocharto (e) est Chaldaicum, cujus hæc verba: *Revera Chaldaica Estia significat ignem, vixque potest dubitari quin hinc nomen Gra-*

*cum Romanumq; ista & Vesta descenderit. A  
 Vesta Vestibula dicta sunt, probante Ovid. (f).  
 At focus a flammis, & quod fovet omnia, dilige  
 Qui tamen in primis ædibus ante fuit.  
 Hinc quoque Vestibulum dici reor: - - -*

Huic consentit Servius (g) *Vestibula* dicta affirmans, *vel quod Januam vestiant, vel quod Vestæ consecrata erant.* Vestibula verò non ædificia erant antiquitus ut nunc nostra in domorum ingressibus extructa; sed loca ante januam patula, & inter fores domus & viam publicam media, ubi aræ & foci ædificati erant; ita conclusa & tecta tamen, ut adversus tempestatis injurias itinera ineuntes aliquo modo se defenderent. In his, qui principem salutatum veniebant, antequam admitterentur, eum aliquamdiu operiebantur, sed tamen neque intra ædes stabant, nec in via publica, sed in domus vestibulo. (b) De hisce sic Cœl. Rhodig. ex Nonio: (c) *Vestibula putant sub ea proprietate distincta, quod in primis ingressibus & in spatiis domorum Vestæ, b. e. aræ & foci soleant haberi.* Cætera quæ ὀνομασίας vel τυπομασίας nomine circa vestis vocem observanda venirent, cum cuivis vel Musarum limen ingresso, ea pateant, consulto prætereo ad alia properans. Explicit itaque caput primum.

(a) in 1. Æneid. (b) lib. 6. Fast. (c) De Origine.

vigin. Idololat. libr. 2. c. 65. (d) Ant. Rom.  
lib. 1. dist. 13: (e) De questione num Æneas  
unquam fuerit in Italia? p. 13. (f) dicto lib.  
(g) in lib. 2. Æneid. (h) A. Gell. noÿ. Attica  
lib. 16. 5. (i) lib. 15. 17.

## CAP. II.

§. 1. Vestium materia multiplex §. 2. Prima  
pellis erat, & absq; artificii luxu. Sue-  
corum Rhenones. Pellium usus lana an-  
tiquior. His induebantur heroes, ster-  
nebantur tori, somnia caprabantur. Co-  
rriarii urbe prohibiti. §. 4. Pellium in  
militaria usus frequens. Galeri, lorice,  
clypei, scuta, ocreæ e corio. §. 5. Pellis  
tributi loco data, hyematum sub pelli-  
bus, unde locutiones: sub pellibus esse Sci

### §. I.

**M**ateria vestis varia est & multiplex: non  
enim sufficit animalium genera tan-  
tum non omnia, non digniora solum  
& majora; sed & minora, quæque abjectiora  
vulgo videntur, ut insecta, ad rem vestiariam  
prodelle; verum etiam maria & pisces, ut ni-  
hil de plantis & mineralibus dicam, sua quo-  
que in usum vestium conferant, necesse est.  
Et ut Plinii verbis utar: (a) Parum scil. fue-  
rat in gulas condi maria, nisi manibus, au-  
ribus, capite totoque corpore, à feminis juxta  
virisque gestarentur. Quid mari cum vesti-  
bus?

bus? quid undis fluctibusque eum velle? non recte recipit hic nos natura nisi nudos. Et paucis post: parum est nisi qui vescimur pericalis, etiam vestiamur. Mihi tamen sufficiat quæ videbuntur potissima horum omnium, levi, quod ajunt, brachio, attingisse, idque paucissimis quam fieri possit pagellis.

( a ) lib. 9. 35.

§. 2. Prima eaque antiquissima vestis materia pellis erat, ut antea probatum: primi namque mortalium *περιήλθον ἐν μηλωταῖς, ἐν ἀγέειν δέρμασι*. Et ut omnium artium initium simplex & absque artificii luxu fuit; ita priscis veterum monumentis comperit, primorum hominum vestitum simplicem fuisse. Progressu vero temporum, luxuria crescente & artificum officinis institutis, non vestium materiam modo, ut lanæ, lini, Serici &c; verum etiam variam formam & operationum modi inventi & excogitati sunt. Unde diversa induendi & amictiendi consuetudo, adeoque pro hac diversitate aliud nomen huic, aliud illi indumento inditum est. Sic alius fuit cultus Persarum, alius Græcorum, alius Romanorum: quorum illi *palliatii*, quia pallium reperiunt; hi *Togati* ob multiplicem Togæ usum appellati sunt. Pellicea tamen vestis ut prima, & ad corpus tutandum commodissima; ita tantum non omnes gentes, priscis quidem temporibus usæ sunt ut præcipua. De carissima

Patriæ nostræ antiquissimis incolis testis est  
 Loccenius. (a) *Quæ ex animalium domito-  
 rum pellibus amittium sibi concinnabant, qui,  
 quamquam ad splendorem parum, tamen ad  
 necessitatem satis erat. De Gothis nostris  
 Claudian. (b)*

*Cronigeri sedere Patres pellibus Gecarum*

*Caria - - - - -*

Rhenonum vero pellibus præcipue usi sunt  
 prisca Gothi, qui honoratiorum quoque fuit  
 habitus, quod ex proverbio de indigne orna-  
 to Suecis nostris familiari, *Suem Rhenone ve-  
 stare*, liquet. Hoc genus vestium Germanis  
 quoque olim in usu fuisse, probat Cæsar de bello  
 Gallico, (c) ubi de Germanis: *Parvis Rhen-  
 num tegumentis utuntur magna corporis par-  
 te nuda*. Hæ vero pelles nec agninae erant,  
 quia agni Græcis *ἄγνες* dicuntur; nec à Rheni  
 incolis nomen habent, uti coniecit Vossius: (d)  
 Sed à vocabulo Sueco-Gothico *Reen* quo a-  
 nimal quoddam Rangiferum, adhuc incolis  
 nostris familiare, notatur: & etiamnum ve-  
 stis quædam ex dicto animali apud Lappones  
 nostros in usu est, quæ *Mudd* sive *Lapp-Mudd*  
 nostris audit, vid. Clariss. Loccen. modo di-  
 cto loco. Pellium usum apud Scythas lanæ  
 antiquiorem fuisse, hinc affirmat Justinus: (e)  
*Lanæ eis usus ac vestium ignotus, & quam-  
 quam continuis frigoribus urantur, pellibus  
 tamen ferinis, & murinis utuntur*. Huc facit  
 illud Ovid. (f)



*Pellibus & laxis arcant mala frigora braccis.  
Oraque de toto corpore sola patent.*

De Romanorū vestitu antiquissimo Propert. (g)  
*Curia pretexto que nunc nitet alta senatus,  
Pellicos habuit rustica corda patres.*

Pelles leonum quoque habitus Heroum, ut  
tigridis Matronarum, quondam fuere, de illis  
Virgilius (h).

*Dat Niso Mnesteus pellem horrentisq; leonis  
Exuvias . . . . .*

De his idem Maro (i).

*. . . . . pro magne tegmine palla  
Tigridis exuvia per dorsum à vertice pendent.*

Et adhuc hodie Turcis & Mauris pro pallio  
esse dicuntur. Teste eodem Marone (k) his  
antiquitus toros sternebant,

*. . . . . gramineoq; viros locat ipse sediti  
Purpureumque toro & villosi pelle leonis,  
Accipit Æneam . . . . .*

In pellibus dormiebant ad captanda somnia  
veteres: oraculum namque consulturus pur-  
gabatur primum, deinde cæsi arietis pelli in-  
cubuit, hinc per somnia captabat responsum,  
quo pertinet illud Poëtæ: (l).

*Pellibus incubuit stratis, somnosq; perivit.*

Ex hoc ritu verb. dormire suam traxit origi-  
nem: nam est à δέρμα pellis, & olim dormire  
dixerunt pro dormire, ut bonus pro bonus.  
Ac gentilibus quidem quia mortua omnia vi-  
debantur immunda, *scortea* id est e pellibus facta



nefas erat inferre Sacello Carmentæ, referente Ovidio (m).

*Scortea non illi fas est inferre Sacello,*

*Ne violenti puros exanimata Deos.*

Hinc neque coriariis domicilium in urbe, sed extra eam concessum erat, & de arte coriaria somniare non boni erat ominis. (n) Non paulo tamen honestius D. Petrus (o) de coriariis sensit, qui apud coriarium Joppensem divertisse legitur.

(a) *Antiq. Succ Gorb. l. 2, 20.* (b) *de bello Gærico.* (c) *l. 6. 21.* (d) *Idololat. Gen. l. 3. 8.*

(e) *l. 2. 4.* (f) *Trist. l. 3.* (g) *lib. 4. Eleg. 1.*

(h) *lib. 9. Æneid.* (i) *lib. 11. Æneid.* (k) *8.*

*Æneid. (l) l. 2. Æneid.* (m) *l. 1. Fast.* (n) *Voss. Idololat. Gen l. 3. 70.* (o) *Act. 9. 43.*

*Idololat. Gen l. 3. 70.* (o) *Act. 9. 43.*

§. 3. Caput ipsum pelle hædina vel alia quacunque contegebant, uti hodie consuetudo est calvis: unde ridicule Martialis (a).

*Hædina tibi pelle contegenti*

*Nuda tempora, verticemque calva;*

*Festive tibi Phæbe dixit ille,*

*Qui dixit caput esse calciatum.*

Calcei ut nunc, ita olim potissimum ex pellibus erant, horum inventorem ex Plinio Polydorus (b) statuit fuisse Boërium, nescio quem; quamquam Vossio (c) probabilius videatur ab ipso Adamo inventos esse calceos, ab eoque primum succrinam repertam, cum facile fuisset eâ de iis cogitasse, cui DEUS vestes pelliceas con-

fecerat. Primo autem ex crudo corio calcei conficiebantur, quales apud Romanos plebeiorum fuerant diu, quibus per nives & lutum ibant. Perones hi dicti sunt, quia similitudinem peræ referebant, hinc Horat. (d).

*• • • nigris medium impedit crus*

*Pellibus - - - - -*

Nobilium vero calcei fiebant ex aluta sive corio molliori, & magistratum Curulem gerentes, plerumque mulleis, id est puniceis, ἀμύλλος incurvus, repandus (erant quippe repandi) more a Regibus Albanis accepto, usi sunt, hoc ex Dione asserit Vossius (e) Ἰσοδρόσος ἐρυθροχρόω κατὰ τὰς βασιλέας τὰς ἐν τῇ Ἀλβῇ ποτὲ γενομένης. Calceamentis rubris more eorum qui Alba quondam regnassent. Hi fuerunt & Senatorum sæpiuscule, quibus luna nobilitatis insigne, erat addita. Unde Martial (f).

*Lunata nusquam pelles & nusquam toga.*

Et hi puris opponebantur, qui ex puro corio sine lunulis erant. Hinc *mutare calceos* dicebantur qui ad altiore dignitatis, gradum ascendebant. (g) Alias calcei virorum maxime erant nigri, mulierum albi, meretricum rubri. Quamquam hæc omnia, ut alia vestimentorum genera, pro ratione temporis sæpe variabant, videantur Hildebrand. Antiq. Rom. Kipping. (h) & alii.

(a) lib. 12. Epigr. 45. (b) De Invent. rerum

l. 3. 6. (c) l. 3. 70. (d) l. 1 Satyr. 6. (e) Theod. Gent. l. 4. 5. (f) l. 1. Epigr. 50. (g) Cic. Philip. 13. 13. (h) l. 4. 5. dist. 12.

§. 4. Frequens præterea in veterum militia erat pellium utilitas. Galea, Græcis γαλήνη capitis tegumentum, vetustissimis temporibus ex pellibus mustelarum, canum, luporum, vulpium &c. conficiebatur, quod ipsæ appellationes indicant: nam κυνέην dixere, quæ è canina, λυκέην, quæ è lupina, ικτυδέην, quæ ex corio mustelæ Sylvestris, & γαλέην, quæ ex mustelæ domestica, erat. (a) Hoc facit illud Homeri (b) Κεῖνδ' ἐπ' ἰκτυδέην κυνέην. *Super caput mustelinam galeam.* Sequioribus verò temporibus pro pellicea galea, introductæ sunt ærea, ferrea; ita tamen, ut exuvie leonum, vel aliorum animalium his imponerentur, sicque aptarentur, ut caput capite velarent, cæteris humeros & dorsum; idque vel ad terrorem hostibus incutiendum, vel ad ornamentum. (c) Hoc innuit Virg. de Aventino Italo (d).

*Ipse pedes regmen torquens immane leonis,  
Terribili impexum feta cum dentibus albis  
Indutus capiti, sic regia sedla subibat,  
Horridus, Herculeoq; humeros innexus amicta.*  
Ex pelle τῆς γαλήνης etiam galerum, perique, existimandum est, quo veteres calvitium tegere solebant: probro namque ea obnoxia erat, ergo ad eam celandam, instituerunt pelles mu-  
ste-

stelinas parare, appositis crinibus humanis, sic ut aptata capiti, cutis vera non coma appositiva videretur. ( e ) Cujusmodi *galeris* seu *galericulis* usi sunt & viri & foeminae; sed haec *Caliendri* nomine venit ( f ).

- - - - at ille currere in urbem

*Canidia dentes, altum Saganam caliendrum*

*Excidere, - - - - -*

Memorat nobilissimas illas venificas, *Canidiam* & *Saganam* Priapi peditu territas, tanto impetu in fugam coniectas fuisse, ut alteri dentes, alteri *Caliendrum* exciderint. Solenne namque erat edentulis & calvis, ut foeditatem suam tegerent, arte factos dentes inserere & adulterinam comam apponere. *Galericuli* meminisse in *Othone* *Sueton.* ( g ) hic enim usus est *galericulo*, capiti propter raritatem pilorum adaptato & annexo, ut nemo dignosceret. *Tranquillus* itidem in *Caligula* ( h ) *galerum capillamentum* nuncupavit: consueverat etenim *Caligula* *ganeas* & *adulteria capillamento calarus* & *veste longa noctibus obire.*

E corio crudo primitus conficiebantur *Loricae*, quod ipsa indicat nominis impositio, quamquam non ignorem *Vossium* ( i ) ex *Ἰώρα* derivare, & in *Λαβυντε*, ut ex *Ἰολικό ὀδύσσου* est *Ulysses*. Quidquid sit, e loro seu pelle fuisse constat, sic *Maro* de *Ornyto* ( k ).

*Cui pellis laeas exenta juvenco,*

*Pugnatori operis - - - - -*

*Varo*

Varro. ( l ) loricam *pectorale* vocat, idque est more vetusto, antiqui namque pectus armis tegebant, tergo fere nudo relicto, quamobrem Sallustius ( m ) *Cæcum corpus* dixit de aversa corporis parte, quod ibi nec oculi, nec lorica muniebant. Postea, inventoribus Gallis, succusa est ex annulis ferreis tunica ferrea, sub idem vocabulum, quam Homerus *χαλκω χιτωνά*, nostri *Panzer* appellant. ( n ) Nec ferrea duntaxat, sed & lineæ, quondam usitatae fuerunt loricae. Unde Heroes Græci apud Homerum *Λινοθήρακες* vocantur, & lorica lineam meminit Sueton. in Galba. ( o ) Iphicrates quoque teste Cor. Nepot. ( p ) militibus Atheniensibus pro ferrea lineam dedit. Credebant & succinctum *pelle hyæna*, si vel in medios irrueret hostes, lædi non posse. Hinc Ægyptii Symbolū alicujus intrepide omnia pericula adeuntis expressuri, *pellem hyæna pingebant*.

Ocreæ denique tibiæ tegumenta in militia, e corio primum, postmodum e ferro fuisse, probat ex Vegetio Vossius. ( q ) nec uterque pes antiquitus ocreis muniebatur, sed alteruter tantum, pro arbitrio militis, & prout dextrum vel sinistrum pedem inter cominus pugnandum proferebat; & dimidius quidem, ne gravaret militem, partem namque reliquam clypeus obtegebat ( r ). Desinistro pede Virg. ( s )

... .. Vestigia nuda sinistri  
 Insituere pedis, crudus regis altera pero.



Dextro dat cruri Vegetius (1) *Pedites*, ait, *scuta-  
si, etiam ferreas ocreas in cruribus dextris cogebantur accipere*, Juvenalis (u) dimidio tribuit *pedi*.  
*Baltheus & manica, Scrisla, crurisque sinistri.*

*Dimidium regmen --- --- --- ---*

Ocreæ ut Græcis *Κνημίδες*, ἀπὸ τῆς κνήμης, quod circa tibias essent, dictæ sunt, (x) unde *ἐκκνημίδες* epitheton militum apud Homer. (y) pariter latinis dicuntur a *crare*, quia, ut Varro de ling. Latin. (z) fatur: *opponerantur ob crus*; vel ab antiquo vocabulo *ocri*, asperum montem & confragosum significante, quod in modum *ocris* inæqualiter *tuberata* essent. (a) Nec corpora modo pellibus in bello tegebant, sed & arma. Nam ut alia taceam, *clypei & scuta* corio vestiebantur; vel tota alia quando e pelle constabant. *Ægis* e pelle *αἰγός* sive capræ fuit, unde *αἰγίς* vocata est. *Scutum* à *σχύλος* pellis dicitur, quod antiquorum *scuta* e pellibus tota constabant, postmodum firmitatis gratia additum quoque est lignum. Hæc oblonga erant, forma quadrata, ad januæ similitudinem, unde Græcis *Συπεῖον* *scutum* audit; (b) cum *Clypeus* fuerit rotundus: Ideoque unicum *Polyphemi* oculum *clypeo* similem cecinit *Ovid.* (c)

*Unum est in media lumen mihi fronte sed instar  
Ingentis clypei --- --- --- ---*

Nec simplex semper pellis, sed aliquando duplex,



plex, triplex, scuta tegebat: Ajacis quoniam clypeus ἐπὶ ἑβόαις Septemplex fuit. Unde Ovid (d) *Surgit ad hos clypei dominus septemplex Ajax.*

(a) Voss. Theol. Gent. l. 3. 70. (b) Iliad. K. vers. 538 (c) Philipp Pheiffer. Antiq. Græc l. 3. 21. (d) l. 7. Æneid. (e) Schildius in Sueton. Othon. c. 12. (f) Horat. l. 1. sat 8. (g) cap. 12. (h) cap. 11. (i) Theol. Gent. l. 3. 70. (k) l. 11. Æn. (l) l. 4. de ling. lat. (m) de Bell. Jugurth. p. m. 343. (n) Pontan. l. 4. Progymnas. 22. (o) c. 19. (p) c. 1. 4. (q) Theol. Gent. dicto loco (r) l. 3. 3. dist. 4. (s) l. 7. Æneid. (t) l. 1. 15. (u) Satyr. 6. (x) Philipp. Pheiffer. Antiq. Græc. lib. 3. 21. (y) Iliad. γ. v. 369. (z) lib. 4. n. 24. (a) Pont. l. 4. Progymnas. 22. (b) citato loco (c) Metam. 13. (d) dicto loco.

§. 5. Hinc propter multiplicem in bello corii usum, Drusus, teste Tacito (a) Frisii, populo transhenano, imperavit ut tributi loco terga boum penderent. Ideo toties apud Auctores classicos legitur: *sub pellibus milites habere, sub pellibus esse, retinere &c.* In obsidione vero Vejorum Romani primum sub pellibus hiemare ceperunt. (b) Idem a Græcis antea factitatum probat Curtius. (c) Agesilaus Rex Lacedæmoniorum stratum habebat tale, ut terra tecta esset stramentis, neque huc amplius quam pellis esset injecta. (d) Hinc vox *suppellex* originem obtinuit: quod olim *itis*, qui in provinciis proficisce-

ventur locari solerent que sub pellibus usui fuerunt: (e) Quamquam non ignorem alios vocem suppellectilis à lectis deducere, ut eo nomine censerentur ea, quæ super lectos vel cubiculares, vel discubitorios poni solebant. Sed longum foret omnes pellium usus enumerare, ergo harum rerum studiosos ad allegatos Auctores remitto.

(a) L. 4. *Annal.* 72. (b) *Flor.* l. 1. 12. (c) l. 7. 8.  
 (d) *Nep. in Agesil.* (e) *Cæli Rhodigi.* l. 27. 14.

### CAP. III.

§. 1. *Lini frequens usus & preparandi ratio. linum crudum. An Arachne inventrix lini, an Egyptii vel Ebræi?* §. 2. *lini species præstantissima & linum vivum, hinc tele igni inviolabiles, hinc Brachmanum vestes, & tunice funebres Regum Indiæ. An idem sit cum lapide Cyprio? lapis Carystius. Carpasium linum. Amiantus. Pallium Sinbaran ab Amianto? Colores intexere Babyloniorum inventum. linum vivum inter res perditas numeratur.* §. 3. *Byffus a besto dignitate proxima, cum purpura promiscue sumitur, erat magni pretii, Regiusq; cultus, & in re vestitaria sacra adhibita. Sindone byffina corpus Christi involutum erat. Sindon & ὀρόριον idem. Etymon sindonis. Amorgus species byffi, purpuram interdum notans.* §. 4. *Xylinum lini vel lana genus, quod frutex Ægyptius profert. bombycis nomine aliquando venit. Arbores Tyli ἰγιοφύτοι.* §. I.

**B**ellem linum excipiebat. Cujus varium tractandi modum, & vel mille usus, ad amissim delineare, nec propositum meum, nec harum pagellarum angustia permittit: ne tamen nihil dixisse videar, potissima tantum tangam. Multiplicem hujus utilitatem in arte navigatoria perpendens Plinius (a) in hæc erumpit verba: *miraculi instar est linum hoc herbam esse, quæ Ægyptum Italia paucorum intervallo dierum admoveat, atque orbem terrarum ultro citroque portet, hominemque ipsum, perinde quasi parum fuisset in terra mori, cogat perire in aquis.* & paucis interpositis: *Ecce scribitur hominis manu: metitur ejusdem hominis ingenio quod ventos in mari aptet.* Quantum commodi in corporibus nostris tutandis linum hoc afferat, quantum item in re piscatoria & aliis, neminem latere arbitror, cum hoc ipsum quotidiana experientia abunde probet. Pro varia vero præparandi ratione, varia sortitum est nomina: Sic crudum linum vocatur, quod aqua maceratum, politum & dealbatum adhuc non est, & crudarium dixerunt linteum ex crudo lino. *ἀμόλινα* Græcis crudaria tela appellatur, quæ postquam texta est, lotionem lixivam non est experta. Crudarium filum est, quod à netu, lixivo lavacro maceratum non est. (b) De inventore lini non convenit inter auctores: Plinius virgini Arachne, quæ Lydia fuit & lanificii peritissima, tribuit

Polydorus ( c ) verò ejus , apud Ebraeorum antiquissimam gentem , longe antiquiorem fuisse notitiam , arbitratur . Forte ab Ægyptiis lini tractandi rationem edocti Israëlita , vel illi ab his . Ægyptum autem lini valde feracem fuisse , etiam ex Saeris colligas , exinde quod in Exod. ( d ) prima lini ratio habeatur , tantumque fiat lini & hordei læsi mentio , cum horribilis illa grando cecidisset . Ad eandem etiam feracitatem alludit Gallienus Cæsar , ( e ) nuntiantibus quippe Ægyptum ab imperio Romano descivisse respondit : *Quid sine lino Ægyptiaco esse non possumus ?* Idem tenue admodum & præstans fuisse probant Plinii ( f ) verba dicentis : *in Ægyptiorum quondam Regis , quem Amasin vocant , thorace , in Rhodiorum insula ostendi , in templo Minervæ CCCLXV filis singula fila constare .*

( a ) l. 19. 1. ( b ) *Salmas. Exercitat. Plin. in Solin. p. 765.* ( c ) l. 3. 6. *de invent. rer.* ( d ) c. 9, 31. ( e ) *Trebell. Poll. c. 6.* ( f ) *diçto loco.*

§. 2. Variæ sunt Lini Species , de quibus vide Plinium , ( a ) harum verò dictus Auctor principatum in toto Orbe tribuit *Lino vivo* , quod alias *asbestinum* dicitur ex argumento naturæ , quandoquidem telæ & panni ex eo confecti , si in ignem injiciuntur , non consumantur , sed e flammis nitidiores evadant & splendescentes . En ejus descriptionem , dicto loco : *Nascitur in desertis adustisque Sole India , ubi non cadunt imbres*

inter diras serpentes: adsuescitque vivere ar-  
dendo, rarum inventu, difficile textu propter  
brevitatem. Rufus de cetero color splendescit i-  
gni, cum inventum sit aequat pretia excellentium  
margaritarum. Ex hujusmodi pretioso lino  
Brachmanum ( qui Indici erant Pphilosophi ( b ) )  
vestes confectas fuisse, dilucide ostendit Boch ( c )  
ex loco Hieroclis: *Κρῶνται δὲ, inquit ille, ἐσθῆλι  
λινῆ τῆ ἐκ πέτρων. λίθων τὰ μηρύματα μαλακὰ  
καὶ δέρματα, ὁ δὲ σιυφαίνεσθ, ἐξ ὧν ὑφάσματα  
γίνεσθαι, μήτε πυρὶ καίόμενα, μήτε ὕδατι καθαι-  
ρόμενα, ἀλλ' ἐπιδάσθ ῥύπαν καὶ κηλίδθ, ἐμπληθῆθ,  
ἐμβληθένθ εἰς φλόγα λευκὰ καὶ διαφανῆ γί-  
νεσθαι.* Utuntur veste linea ex lapidibus. Quod  
quidem texunt mollia sunt lapidum stamina &  
membrane ex quibus panni sunt, qui neque i-  
gne exuruntur, neque aqua expurgantur, sed  
cum sordes & maculas contraxerunt, in flam-  
mam injecti albescunt & lucidi fiunt. Tunice  
quoque funebres hinc textæ, favillam ab reliquo  
separabant cinere in cadaveribus Regum Indiæ  
cremandis. ( d ) Linum vivum, licet ejusdem sit  
cum Lapide Carystio virtutis, toto genere tæ-  
men ab illo diversum esse existimat Salmas. ( e )  
cum *Ππιτελικῶς* vivum & asbestinum dicatur, &  
tam cælo quam Solo ab illo differat. Bocharto  
vero ( f ) idem fuisse videtur cum Carystio, qui  
differens de lapide hocce, in hæc erumpit verba:  
neque aliud puto fuisse Linum asbestinum, quod



*Plinius aquasse dicit pretia excellentium margaritarum.* Huic consentit Vossius, (g) quem vide. Porro Lapis Carystius a Civitate Carysti prope Ocham montium in Eubœa maximum, nomen obtinuit, ubi inventus & malleis cusus, pectebatur, inque fila deducebatur, telæque ex eo texebantur, unde capitum involucra, retia, mantilia, mappæque & alia fiebant, quæ in ignem injecta, non comburebantur sed evadebant mundiora. (h) Interim tamen hic lapis distingui debet ab alio lapide qui etiam Carystius audit, à quo & Carystus commendabatur, ille marmor quoddam erat varium, de quo Seneca in Troade:

*Ferax varii lapidis Carystus.*

Circa urbem Cypri Carpasiam sive Carpasum inventum esse Lini quoddam genus, Carystio haud dissimile, memoriæ prodit Pausanias in Atticis, quod ille *Καρπάσιον λίθον* nuncupat; hoc vero valde improprie, censore Salmasio, (i) cum revera lapis erat, & a natali suo loco Carpasius dictus, ut Cyprius a Cypro. Hunc ipsum lapidem alias communi nomine *Amiantum* dici, quod ex eo quæ fierent, non *μιαίνονται*, probat ex Dioscoride Boch. (k) *λίθος ἀμιάντη γεννᾶται μὲν ἐν Κύπρῳ συπλοεῖα σκιστῆ ἰοικώς.* Lapis amiantus generatur quidem in Cypro, alumini scissili similis. Et Plinius: (l) *Amiantus alumini similis nihil igni deperdit.* Et quandoquidem est *ἰμαντώδης πρὸς θεῶν* in speciem flexilis instar lori, & alumi-  
ni



ni scissili Similimus ( unde & *alumen plumbeum* officinæ vocant ) verisimile admodum videtur Bocharto ( *m* ) missis aliorum per plurimis sententiis, שבער אררת *Pallium* illud *Sinbar*, quo Jerethunte viso, ita libidine exarsit Achan, ut manum injecerit in interdictum, ( *n* ) ex Amianto fuisse, eo argumento, quod hoc pallium Talmudici interpretentur סרבלא צרופא, quod ad vulgarem interpretationem est *pallium alumniatum vel aqua aluminis bene lotum*; Sed cum verbum צרף non sit purgare simpliciter, ut sit alumine, sed in igne purgare, quomodo metalla solent, ergo nomen צרופא inde deductum, vult proprie esse id quod in igne purgatur, qualis est Amiantus, & secundo significare alumen, ob similitudinem. Et sic סרבלא צרופא esset pallium ex amianto. Sed cum lapis amiantus in Cypro reperiebatur, aut Carysto Eubœæ, non vero in Babylonia, potius statuendum videtur pallium hocce Babylonicum, fuisse *σολήν μικρίλην stolam variam & variegatam*, h. e. diversæ picturæ coloribus intextam & interstinctam. Hanc sententiam sequuntur 70 Interpret, & ipse nobiliss. Bochart. potius in eandem inclinat. Quin etiam hujus texturæ inventio Babyloniis à per plurimis Auctoribus disserte tribuitur. Sic Plin. ( *o* ) *Colores diversos picturæ intextere Babylon maxime celebrat & nomen imposuit*. Tertulian. de habitu foeminarum. ( *p* ) *Age nunc si ab initio rerum & Milesiæ oves tonderent, & Seres arbores nerent, & Tyrii*

intingerent, Phryges insuerent & Babylonis inuenerent. Martial. ( 9 )

*Non ego pratulerim Babylonica pilla superbe  
Texta Semiramia, quæ variantur aciu.*

Catonem dicit Plutarch. in vita Catonis, Ἰππὶς Ἐλληνιστὶμα τῶν πακίλων βαβυλωνίων ἐκ κληρονομίας κτησάμενον, ἐν τῷ δόποδῷ. Palliam ex variis Babyloniā quod ei ex hereditate obtigerat, statim diuendidisse. Plurimus quoque hujus fuit texturæ usus in lectorum peristromatibus, quæ immensi fuerunt pretii, ut ex Plinii ( r ) sequentibus patet: Metellus Scipio triclinaria Babylonica sestertium ostingentis millibus uenisse, jam tunc posuit in Capitolis triminibus, quæ Neroni Principi quadringentis sestertium nuper stetero. Hæc Metelli Scipionis triclinaria, Budæo supputante, 20000 aureorum æstimata fuere, & Babylonica Neronis, decies centum millibus. Sed redeo ad Linum vivum, quod Pancirollus ( s ) inter res deperditas numerat. Quidquid sit, his manibus tamen usurpavi paucis ab hinc annis ejusmodi quoddam lini genus, molle admodum & præcandidum, quod carniū filamentis mihi videbatur haud dissimile, & honesta quædam Matrōna, τὴν ἐν ἀγίοις, affirmavit mihi, lintea hinc fieri igni resistentia. Accepi etiam à fido amico in Metallī fodinis nostris, plantam quandam oriri, ex qua collecta & præparata, crumenas solent conficere flammis non cedentes.

( a ) l. 19. 1. ( b ) Scheff. Philos. Ital. c. 4. ( c ) in Phaleg. l. 1, 6. ( d ) Plin. dicto loco. ( e ) Exercitat.

citat, *Plin. in Sol. p. 117.* ( *f* ) *Phaleg. l. 16* ( *g* ) *Theol. Gen. l. 6. 30.* ( *h* ) *Strab. l. 12. p. 302.* ( *i* ) *p. 177.* ( *k* ) *d. l. (l) l. 36. 19.* ( *m* ) *dicto loco.* ( *n* ) *Jofue 7, 21.* ( *o* ) *l. 8. 48.* ( *p* ) *c. 1.* ( *q* ) *lib. 8 Epigr. 28.* ( *r* ) *d. l. (s) l. 1. Titul. 4.*

§. 3. Proximam ab asbestino dignitatem obtinet *Byffus*, auctore *Plinio*, ( *a* ) quæ est species lini pretiosissimi, subtilissimi, mollissimique, ( *b* ) Græcis *βύσσος* Ebræ. *שׁשׁ* Arab. *قز* dicta. In *Ægypto* feritur & nascitur, indeque in alias regiones deportatur, quod ex his *Ezechiel.* ( *c* ) *שׁשׁ ברקמה ממצרים היה מפרשך להיות לך לבג* *Byffus in acupictura ex Ægypto factæ expansio tua ut esset tibi in signum*, diserte probatur. Super quibus sic *Hieronymus*: ( *d* ) *Byffus in Ægypto quam maxime nascitur, ex qua contextum est Syria navis velum, quod suspenditur malo, & operimentum illius, quod in solis calore atque tranquillo nautis atque vectoribus præbet umbraculum.* Præterea in *Elide* & nusquam in *Græcia* alibi repertam esse byssum commemorat *Pausan.* In *Eliacis* ( *e* ) *Θαυμάσαι δ' ἄν τις ἐν γῆ Ἡλείᾳ τὴν τε βύσσον, ὅτι ἐνταῦθα μόνον, ἐπὶ ᾧ δὲ ἔδαμῃ τῆς ἐλλάδος φύεται.* Et est quod quis miretur *Elei* agri byssum ibi solum nec alibi uspiam in *tota Græcia* nasci. Vult denique *Philostatus* auctore *Rhodig* ( *f* ) etiam *Indiam* byssum gignere, ubi in quibusdam locis ex arbore quadam nasceretur, quæ basi quidem populo est

persimilis, foliis vero salicis; sed nullum aliud no-  
 num excepto albestino, præter arborum ἐριοφόρων  
 lanam ( quæ nunc lini, nunc lanæ nomine venit )  
 in India nasci observat Salmas. ( g ) idque præter  
 alios ex Arriani loco de Indicis, ἐοικηλὴ δὲ Ἰνδοῖς  
 ἀσπὴ κρῶνλαι, & paucis post, λίνε τῆ ἀπὸ τῶν  
 δενδρέων, *linum illud arborum lana est.* Coloc  
 byssi potissimum est candidus, ( h ) quanquam  
 flava byssus quoque inveniat, ut ex modo no-  
 minato Pausania constat: Ἴδε βύσσο⊙ ἐν τῇ Ἡ-  
 δει λεπτότης μὲν ἕνεκα ἐκ ἀποδεί τῆς ἑβραίων,  
 ἔστι δὲ ἐχ ὁμοίως ζαυθῆ. *Byssus autem quæ in E-*  
*lide est tenuitate non cedit ei quam fert alias*  
*Ebraorum terra, sed non est ita flava.* Purpure-  
 um vero colorem non raro inhibere, argumento  
 est, quod byssus pro purpura, & byssinus pro  
 purpureo passim sumantur. Hesychius: Βύσσο⊙  
 χρῶμα ἀπὸ τῆς ὕψης ὡς θαλασσανόμενον. *byssus*  
*color qui hyssges id est, cocci loco, interpret.* Bocha.  
 ( i ) *Sumitur.* Suidas: βύσσινον, βύσσω βεβαμ-  
 μένον *Byssinum, bysso tinctum.* Hinc etiam aucto-  
 re eodem Bochar. in modo citato opere, non raro  
 in Sacris byssus, & purpura, vel purpura &  
 byssus, pro purpurea bysso, per figuram ἐν Δίῳ  
 δοῖν accipitur. Huc facit locus apud Evangelista  
 ( k ) ubi πλέσιος ille opulentiam suam osten-  
 tans ἐνεδεδύσκειτο πορφύραν καὶ βύσσον. *Mollities*  
*hujus tanta est, ut etiam ea in proverbium ces-*  
*serit*



ferit referente Cœl. Rhodig. (l) nam *byssina* verba per blanda & mollicula explicant, & memorat dictus auctor Parysatin Cyri & Artaxerxis matrem, altissimi sensus mulierem, dicere solitam: *Regem qui promee, nec animo timidore concionaturus foret debere byssinis uti verbis.* Non parvi fuisse pretii hanc byssum ex Plinii (m) loco colligitur, ubi narrat: *Byssinum linum in Arabia genitum mulierum maxime in deliciis fuisse, & quaternis denariis scripulam ejus permutatam quondam ut auri.* Unde olim byssi in aulis Magnatum multus fuit usus, utpote quæ Regius fuit vestitus. Sic B. Luther. in Gen. (n) *Magnates in Oriente bysso sunt usi, sicut hodie Turca pileo byssino utitur. Romanis insigne erat purpura & toga, Orientalibus byssus.* Erat quoque in distributione honorum usus byssi. Sic Pharaos vestivit Josephum *וְשָׂרְיָא בְּשֵׂמֶטוֹת בַּיֶּשֶׁת׃* vestimentis byssi. (o) Plurimum item in re vestiaria Sacra utebantur bysso, ut in Exod. (p) & alibi passim videre est. Idem affirmat Josephus Ant. Judaic. (q) *Hierusalem non solum vestitur discoloribus & calciatur hyacinthinis, sed & bysso accingitur, de qua tenuissima in veste Pontificis fila texuntur.* Ex eadem forte materia Ægyptiorum Sacerdotum vestitus erat, de quo Hieronymus: *Vestibus lineis utuntur Ægyptiorum Sacerdotes, non solum intrinsecus sed & extrinsecus.* Et Apulejus de ceremoniis Ægyptiacis: *Lintee vestis candore luminosi incedunt. hinc hos sacrificulos Linigeros appellat Martial.* (r)



*Linigeri fugiunt calvi Sistrataque turba.*

Nam lanca vestis ipsis impura habebatur, propterea quod esset ex animalibus, iisque sua morte saepe functis, confecta; *contra ipsis mundissima lini seges inter optimas terræ fruges exorta, non modo induenti & amictui sanctissimis Ægyptiorum sacerdotibus, sed opertui quoque in rebus sacris usurpatur*, ut ex Apulejo notat Schettf. (s) quamquam non solo hoc lino vestiebantur, sed etiam Lana Xylina, ut deinceps patebit. Ægyptus quoque tapetibus aliisque textilibus subtilissimis ex hoc lino confectis inclaruit, quorum inventionem iisdem deberi auctor est Plin. (t). Huc facit locus in Proverb. (u) ubi **לִנְיָא מִן** funis Ægypti (interprete Conrad. Dietric.) (x) denotat lintea Ægyptiaca aut byssinā tapetia acupicta, a meretrice sive adultera *ἀγλαίης ἐκεία* adhibita. Ex hac denique materia erat amictus qui **Σινδών** Græcis dicitur. (y) **Σινδών** *Βυσσίνης* mentio fit apud Herodotum. Unde LXX seniores apud Esaj. (z) vocabulum **לִנְיָא** τὴν βύσσον exponunt. Ejusmodi veste corpus Christi post pollincturam indutum est, (a) quæ Johanni (b) ὀρνίον audit. hanc fuisse tunicam quandam interiorem nudo corpori indutam, alii ex Marco (c) colligere sargunt, alii, à quibus stat Salmas. (d) asserunt fuisse integrum linteum, postea discerptum in partes, quæ pro vinculis & fasciis sepulchralibus essent, & inde ὀρνίον in numero multitudinis nuncupari. Quic-

quid sit, credibile est per sindonem & ὀθόνια idem denotari, cum qui meminere sindonis, non memorent ὀθόνια. Videatur Henningii Achæolog. Passional. (e) Hanc sindonem (ut & hoc addam,) Sidoniorum inventum esse vult Etymolog. magnus, indeque derivari. Verba ejusdem sic se habent: Σινδῶν ἀπὸ σιδῶνος τῆς πόλεως. οἱ γὰρ σιδῶνες ἐφεύρον πρῶτοι κάμνειν σινδόνια. *Sindon ab urbe Sidone: primi enim Sidones artem invenerunt elaborandi Sindones.* Alii Tyriorum opus esse σίνδονα asserunt ex loco Matrialis,

*Non sic in Tyria Sindone tutus eris,*

Quanquam hoc potius de colore dictum putet non nemo. (f) Quia vero in Ebræa Scriptura שִׁטְוֹן & שִׁטְוֹן multum differunt; illud enim per tade, hoc per samech scribitur, ad eandem radicem pertinere non videntur. Quod autem Græci & Latini Lit. N inserunt, cum Sindon Ebræis scribitur שִׁטְוֹן *Sadin*, ratio est auctore Boch. (g) quod veteres Ebræi scripserint שִׁטְוֹן cum daghes, quod facile in N. mutari posset, ceu a שִׁטְוֹן maddo *μανδύη*, ab שִׁטְוֹן *hoddu Indus & India.*

Inter byssi Species quoque Amorgus, Græc. ἀμοργίσις vel ἀμοργός, in Insula Amorgo, (quam alii Cycladibus, alii Sporadibus annumerant) nasci & elaborari solita, à Boch. (h) & Rhodig. (i) refertur. Stephanus vero statuit coloris quoddam genus esse, cujus hæc verba: ἀμοργίνου χίτων, χρώμα.

χρῶματ' ἴδιον. Favet quod in voce ἀπομόρξαντο, ἀμόρξιναι ἱμάτια, redduntur πὲρ πορφύρας, Ἐ ἀμόρξιναι, εἰδ' Ἐ βοπάνης πορφύρας. Sed amorginas vestes à materia dici, quia ἀμοργίς aliquid est bysso simile vel carbaso, in vestium usum olim adhibicum, Suidas probat: ἀμόρξινον, ὅμοιον βύσσω καὶ πολυτελὲς Amorginum, bysso simile ἔ pretiosum. Huic consentit Salmal. (k) proferens Poëtam Cratinum, qui ἀμοργὸν βρυτίνην, id est Hesychio Interprete, linum byssinum seu bombycinum, memorat. Quod vero amorgus pro purpura, & amorgina vestimenta pro purpureis aliquando sumantur, hoc ideo fieri suspicatur Bochartus, quod non raro byssina purpureo colore imbuebantur, unde & byssum sæpius pro purpura usurpari supra monstratum est.

( a ) lib. 19. 1. ( b ) Panciroli libr. 1. Tit. 40

( c ) c. 27. 7. ( d ) In Esaj. 471. ( e ) libr. 1.

( f ) l. 23, 8. ( g ) Exerc. Plin. in Solim. p. 997. ( h )

Terfer. in Exod. 25, 4. ( i ) in Phaleg. l. 3. 4. ( k )

Luc. 16, 19. ( l ) l. 7. 23. ( m ) d. l. ( n ) c. 36.

( o ) Gen. 41, 42. ( p ) c. 28, 4, 5, 39. ( q ) l. 6. Bell.

Jud. ( r ) l. 12. Epigr. 29. ( s ) Philos. Ital. c. 4.

( t ) l. 7, 56. ( u ) c. 7. 16. ( x ) Antiq. Bibl.

V. T. p. 589. ( y ) idem d. l. ( z ) c. 3, 23.

( a ) Mat. 27, 59. ( b ) c. 19, 40. ( c ) c. 14. 51. ( d )

Epist. 2. de Cruce. ( e ) c. 27. §. 3 ( f ) vid. cæli.

Rhodig, l. 16, 10. ( g ) l. 2. de Serm. Phœnic. c. 14.

( h ) Idem l. 1, c. 14. ( i ) d. l. ( k ) ibm p. 1125.

S. 4. Tertium locum Xylino vel gossipino vino dicamus: Quod est lini vel lanæ genus, ( *a* ) idque molli-  
 lissimum candidissimumque. Estque nihil aliud  
 quam lanugo quædam ex pomo fruticis cujus-  
 dam Ægyptii ab Ulpiano ἐπιόξυλον nuncupati,  
 collecta, quem sic describit Plin. ( *b* ) Superior  
 pars Ægypti in Arabiam vergens, gignit fruti-  
 cem quem aliqui, gossipium plures Xylon vocant  
 & ideo lina indefacta Xylino. Parvulus est: Si-  
 milisemque barbata nucis defert fructum: cujus ex  
 interiore bombyce lanugo netur, nec ulla sunt eis  
 in candore molliitate præferenda. Eodem fere mo-  
 do Dalechampius: ( *c* ) Frutex est humilis, foliis  
 latis, altius incisus, viti aut alcea quadantenus  
 similibus, sed minoribus, fructu nucibus ponticis  
 compressis fere simili, aut malis exiguis, pullo co-  
 lore candidissimo vellere pleno. Etiam Arabiam  
 eundem producere probatur ex hoc Propertius

*Nec si quæ Arabio radiat bombyce puella.*

Nam potius de Xyli lana quam serico locutum pu-  
 tat Poëtam Voss. ( *d* ) Lanam autem hanc bom-  
 bycen aliquando vocari ex Salmas. ( *e* ) constat,  
 cujus hæc verba: *Bombycem vocavere non solum  
 quæ ex vermibus bombycibus dicitur nebatur, sed  
 & molliorem omnem lanæ linique lanuginem.*  
 Unde voce paulo deflexa recentiores fecere bom-  
 bax, bambax Græci Βομβάκιον. Itali bombagio,  
 imo & cotten sive cotoneum vulgo dicitur. Ita-  
 liam denique gossipium producere asserit Cale-  
 pinus,



pinus, in Creta, Mileto aliusque versus austrum locis, dicitur Vossius. Memorat Plin. (f) Tylum insulam in sinu Persico sitam lanigeras producere arbores, foliis infœcundis, quorum cucurbitæ maturitate ruptæ ostendunt lanuginis pilas, ex quibus vestes pretioso linteo faciunt, & arbores illas *gossampinos* incolis vocari ex Juba afferit idem. Hasce arbores ἐροφόρος easdem esse cum memorato frutice arbitratur Boch. (g) quod præter nomen & usum etiam ipsa facies arboris palam docet & gossipis descriptio. Talmudicis Xylinum hocce פל מלך lana vitis dicitur, quia ex arbore decerpitur, cujus folium viti simile est. Ægyptiorum Sacerdotes gossipinis sive Xylinis vestibus usos esse affirmat Plin. (h) Vestes inde (puta ex frutice ἐροφόρω) Sacerdotibus Ægypti gratissima. Vix enim alias linum Ægyptium vestientis Sacerdotibus, sufficeret inquit Salmas. (i) Hodie hic habitus nostris Europæis frequens est. In Sinæ regno nobiles quidem Sericis gaudere, Xylinis cæteros, testatur sæpius nominatus Vossius. Essent quidem perplurima adhuc de aliis lini generibus commemoratu digna, sed plura persequi prohibet proposita brevitatis.

(a) vid. Salmas. in Solin. p. 997. (b) lib. 19. 1.  
 (c) Hist. Plant. l. 2, 53. (d) Theol. Gent. l. 5. 38.  
 (e) ibm. c. 46. (f) l. 12. c. 10. & 11. (g) l. 1. 45.  
 de Serm. Phœnic. (h) d. l. (i) d. l. p. 998.



## CAP. IV.

§. 1. *Lanae usus in re vestiaria multus. Lanificium an Atheniensibus, Minervæ vel Disæ adscribendum? mos vellendi lanam. §. 2. Quenam olim & hodie lane præstantissimæ. Tegebantur oves propter lanam. Carere lanam. a carduo cardare & cardatores. §. 3. Ex lanis textilia & coactilia conficiebantur. Fullonum erat πλύειν πάλειν & κνάπειν. Vestes pæxæ, trice, tunica pæxa, prosa. Fullonica ars vilis. Urinæ usus ad tincturam. Vectigal urinarum, coactilia belli usibus inserviebant.*

## §. I.

**N**unc ad lanam καὶ ἐξοχήν sic dictam per-  
gimus, quæ lino successit, ejus maximum  
esse in re vestiaria utrum nemo ignorare  
potest. Hinc canit Poëta: (a)

*Mollia quæ nobis vestras velamina lanas*

*Præbetis, vitæque magis, quam morte, juvatis.*

Hujus tractandæ artem seu lanificium ipsum, Ju-  
stinus (b) Athenienses primos docuisse tradit, id  
vero Minervæ Polydorus Vergilius (c) tribuit, ea  
quippe prius existerat quam Athenæ conditæ e-  
rant, ab eisque castissime colebatur. Huic con-  
sentit Rosinus (d) qui hanc primam lanificii u-  
sam monstrasse, telam exorsam esse, & colorasse  
Lanas perhibet. Beatæ memoriæ D. Rudbeckius  
tam lanæ, quam lini tractationem, carissimæ Pa-  
triæ nostræ incolis assignat, in eisque Regiæ

Disæ Regis Sigtrudi conjugii. Verba sic habent  
 ( e ) *Sed inter artes quæ Disæ debentur, lana li-  
 nique tractationem majores nostri reposuerunt. In  
 picturis igitur colum ei appositum cernimus. Ad  
 eam quoq; Sydus cæleste referendum erit quod co-  
 lum cum fuso ( Frigge Nact ) vulgo vocamus. Lanæ  
 antequam tondendi mos obtinuit inter Romanos,  
 velli solebant, unde vellere nomen est. Oves non ubiq;  
 tondentur, inquit Plinius: ( f ) durat in quibus-  
 dam locis vellendi mos. Tondendi tamen consue-  
 tudo vetus est, Ebræi namque tonsuræ tempore  
 convivium celebrabant, ut Absalonem & Naba-  
 lem fecisse legitur in Sacris ( g ).*

( a ) Ovid. Metam. 15. v. 116. 117. ( b ) l. 2. 6.

( c ) De invent. Rer. l. 3. 6. ( d ) Antiq. Rom. l. 2. 9.

( e ) Athlant. Tom. 2. c. 6. p. 509. ( f ) lib. 8, 48.

( g ) 2. Reg. 3, 23. 1. Sam 25, 27.

§. 2. Hodie præcipua bonitas est lanæ Anglica-  
 næ auctore Vossio: ( a ) causam hujus bonitatis  
 putant Physici, à pabulis minus lætis arcessendam  
 esse, defendentes se illo Virgilii: ( b ) ubi læta opi-  
 siones pabula fugere jubet. Sane a Solo parum  
 fertili lanam reddi subtiliorem, Cardani ( c ) quo-  
 que judicium est. Huic assentitur Philargyrius ( d )  
 cujus hæc verba: *Læta pascua solocum lanam fa-  
 ciunt, id est, minutam duram atque hirsutam.*  
 Alteram quoque addit rationem laudatus Vos-  
 sius ( e ) scil. quod in ea regione oves vix bibant,  
 sed rore cælesti ad sitim extinguendam conten-  
 tæ sint. Sed hæc lana ignota fuit veteribus,

à quibus passim prædicantur in Asia, vellera Milesia, Laodicæa. In Græcia, Attica & Megarensi-um, de priori apud Athenæum quæstio instituitur, εἰ τῶν Ἀττικῶν ἐρῶν ἐστὶν μαλακώτερα; *sunt ne lanae aliquæ Atticae molliores?* In Italia, Apulia, Parmensis extollitur, in Hispania Pollentinæ juxta Alpes, de quibus Plinius. (f) In Gallia, Altinæ, de hilce sic Martialis: (g)

*Velleribus primis Apulia, Parma secundis  
Nobilis: Altinum tertia laudat ovis.*

Hic Martialis lanæ Apuliæ primas tribuit, Clarif. vero Bochart. (h) multis probat Milesiam lanam præstantissimam fuisse. Unde Polycrates Sami Tyrannus exquirens undiquaque quid uspiam eximium esset, coëgit κύνες μὲν ἐκ ἠπείρου, αἰγας δὲ ἐκ Σκύρου, ἐκ δὲ Μιλήτης πρόβατα. *Canes quidem ex Epiro, capras ex Scyro, & oves ex Mileto.* Tertullianus de Pallio: *Age nunc si ab initio rerum Milesii oves ronderent, & Seres arbores nerent.* Columella (i) Milesiis Gallicas anteposit inquit: *Generis eximii Colabras, Apulasque nostræ existimabant; earumque optimas Tarentinas. Nunc Gallica pretiosiores habentur, earumque præcipue Altinates.* Et Plinius (k) laudata Apulâ Tarentinâque, tertium locum Milesiæ tribuit lanæ. Alia tamen fuit mens Sybaritis, luxu & deliciis adeo notabilibus, ut quicquid ambitiosa luxuria paratum esset, *Sybariticum* diceretur: (l) hi enim (Athenæo teste) neglectis his, quæ tamen obviæ erant, e Mileto remotissimâ, lanam sibi com-

parabant. Ἐφόρων γὰρ οἱ Συβαρίται καὶ ἱμάτια ἐκ  
 Μιλησίων ἐρίων πεποιημένα, *ferabant enim Sybari-  
 tæ vestes ex Milesiis lanis factas.* Nec suis lau-  
 dibus caret lana Suecana, cujus undique magna  
 copia datur, præcipue autem Insula Gothlandia,  
 quæ præ cæteris Aquilonum insulis merito felix  
 & abundans salutatur, *commendatur, quod oves  
 robustiores & pretiosiores quam alia nostræ terræ,  
 producat, quæ lanam habent longam, quam ali-  
 quando Romæ, exigua veste resolutam, artifices  
 bireta facientes, mire commendarunt.* (m) Con-  
 suetudo quoque fuit nonnullis gentibus, præci-  
 pue Megarensibus, oves suas pellibus tegendi, ne  
 lana inquinaretur, quo minus vel infici posset vel  
 lavari ac parari, & hæ oves *τεῖλα* Plinio (n) &  
 Horatio (o) *Pellita* dicuntur.

*Dulce pellitis ovibus Galepsi*

*Flumen - - - - -*

Hinc Diogenes Cynicus videns oves Megarensium  
 pellibus tectas, pueros vero eorum nudos, exclamavit:  
*λυσστέλεστερον ἐστὶ Μεγαρέως εἶναι κελὸν ἢ υἱόν.*  
*Præstat Megarensis esse arietem quam filium.* Apud  
 Ebræos hoc idem viguisse probat Buxtorf. ex  
 his Talmudis Schab. תלולותיו נכבדות *circum-*  
*ligant eum propter melat, id est* Bochart. (p) In-  
 terprete, *ut lana maneat tenerrima & purissima.*  
 Tecto huic pecori opponitur *Colonicum*, proxi-  
 mæ tamen post tectum dignitatis. Plin. (q) *Ovium  
 summa genera duo, tectum & Colonicum: illud  
 mollius, hoc in pascuo delicatius: quippe tectum*

*vabis pascatur.* Primum lanatum purgamentum est, cum carminantur & depectuntur erinaceo fullonis. *Carminari vero tunc lana dicitur* inquit Varro: (r) *cum caret eo quod in ea est nequam.* Est namque a *carere* quod verbum est textorium, unde lauam carere, græce ζαίβειν, est lanam per pollicem trahendo purgare. Plaut. Menæchm. (s).

*Inter ancillas sedere jubeas lanam carere.*

Et quia usum in lanis carminandis & rudibus pannis lævigandis præstant capitula cujusdam cardui, quem fullonium vocant, vel pectinalem carduum, à carduo deducit Salmas. (t) verb. *cardare*, de lanis quæ pectuntur & *cardatores* quos Græci κτηνιστῆς, latini *lanarios*, appellant. Et lanas sic putatas & purgatas Græci ἐργαστὴν ἢ κτηνιστῆν, sicut rudes & impolitas ἔργα ἔργα dixerunt.

(a) l. 3, 70. de Theol. Gentil. (b) l. 3. Georg. v. 386. (c) l. 10. subtilit. de animalibus perfectis (d) in l. 3. Georg. (e) dicto loco. (f) l. 8. 48. (g) l. 14. Epigr. 154. (h) l. 1, 6. in Phaleg. (i) l. 7. 2. (k) l. 8. 48. (l) Vid. Chiliad. Erasmi. (m) Olaus Magnus l. 17. c. 1. (n) l. 8. 47. (o) l. 2. Od. 5. (p) l. 1. c. 6. in Phaleg. (q) modo citato loco. (r) l. 6. de L. L. (s) AEl. 5. sec. 2. (t) Exercitae. Plin. in Solin. p. 396.

§. 1. Ex lanis non textilia solum fiunt, sed & coactilia, alias *subτοαῖτα*, vulgo *viltren*, dicta; quam vocem ex Græco *πλητῆ* vel *πλωτῆ* derivatam arbitratu Voss. (a) sic enim τὸ ἐκ τρηκῶν οὐκ ἴδμενα di-



dicuntur. Et quod Græcis est *συμπλῆν*, id latinis est *conciliare*, à ciliis. Varro ( *b* ) *Apud fullones vestimentum cum cogitur conciliari dicitur.* Fullonum namque erat non tantum *πλύνειν*, lavare vestimenta obsoleta, tergere maculas nitro, creta cimolia & similibus, unde Martial. ( *c* )

*Es lotam ut minimum terque quaterque togam.* Verum etiam τὸ *συμπαιτῆσαι* calcare, densare, conciliare & cogere, unde *νάκται* appellati sunt & latine Fullones & *Ναταί*; & denique *κνάπειν* polire & pectere. Quia non solum vetera interpolabat fullo, unde vestis interpolis & *Ἰπιγναφος*; sed etiam novi panni ad eum delati poliebantur & pectebantur, inde *ἀπὸ τῆ κνάπειν κναφεὺς* seu *γναφεὺς* dictus est, & *κνάφος* instrumentum, quo poliebat, quod à Spinis erat factum. Interdum tamen cute erinaceorum quoque pectebantur panni, quod innuens Plin. ( *d* ) sic de erinaceo fatur: *Ipsum animal non ut remur plerique vitæ hominum supervacaneum est: si non sint aculei, frustra vellerum mollitiæ in pecude mortalibus data, hac cute expoliantur vestes.* Et hæ vestes proprie *πεξα* dicuntur quod multo flocco operatæ sunt, eoque *pezo* & *polito*, hinc opponuntur *ερίτις*, ut *πᾶσα ὀβσολετίς*. Martial. ( *e* ).

*Pexasus pulchre rides mea zoile erita.*

Ars polituræ *pexiatē* istam (ut loqui amat Plin. ( *f* ),) in subtemine non in stamine excitat, igitur quo densius subtemen est & crebrius, eo *μαλακωτέρη* & *pexi*

peior est vestis. Et quia flocci illi pezi ab uno tantum erant latere, hinc *tunica peza* eadem est ac *prosa*, id est recta; nam ut *prosa oratio* opponitur *versificatae*; ita *peza* seu *prosa tunica* inversa, ut veteres prosum dixere pro *recto*, *prorsum ire*, *prorsu limites* &c. Ex floccis lanæ qui inter polienda vestimenta derasi erant, *tomenta* olim fiebant. Inde *γνάφαλα* vocabantur purgamenta quæ spinis adhæserant pectinis *κναφικῆ*, & *γνάφαλου* ipsum tomentum. Inde *γναφάλιον* herba latinis *centunculum* dicta, quod ejus foliis candidis & mollibus pro tomento culicitarum uterentur. Artem ipsam Fullonicam, vilem & servilem habitam olim, inde constat, quod Lampridius in Alexandrum Sever. Fullones inter coquos, piscatores & balneatores commemorat, quos omnes non nisi servos habuit. Idem Plaut innuit in *Asin.*

*Non didicisti fullonicam* &c. Ejusmodi Servi Romæ erant cretæ miscendæ subigendæque gnari, in tamque rem imprimis utebantur urina, (g) hinc in angiportis stabant amphoræ & dolia ad urinam reddendam, unde originem traxit suam *vestigal* *urinarium*, a Vespasiano turpis lucri cupido imperatum, de quo, ut habet Sueton: in vita ejus, (h) *cum à filio Tiro reprehenderetur, quod urine vestigal commentus esset, pecuniam ex prima pensione admovit ad naves ejus, scissitans num odore offenderetur, & illo negante, atqui e losio est inquit: hinc de avaris proverb.*

*Lucri bonus odor e re qualibet.* Huc facit ille  
 Martial. (i) ubi ab hujusmodi ex obsceno loco  
 delato vasculo comparationem instituit.

*Tam male Thais olet, quam non fullonis avari  
 Testa vetus, media sed modo fracta via.*

Sed ad coactilia redeo. Horum multus & magnus  
 est usus: nam hinc pilei aliaque vestimenta, quæ &  
 pluvias arcebant & usibus belli inserviebant.  
 Hinc cæsar: (k) *Omnes fere milites aut ex sub-  
 coactis, aut ex centonibus, aut ex coriis tunicas,  
 aut tegumenta fecerant, quibus tela vitarent.*  
 Hisce adde Plin. (l) *Lana & per se coacta vestem  
 faciunt; & si addatur acetum etiam ferro resi-  
 stunt imo etiam ignibus.* De centonibus sic Sal-  
 mas: (m) *Cilicia erant velamenta ex caprarum  
 pilis contexta & laxè suspensa, obteuebantur ad  
 telorum jactum, quæ non firmitate, sed laxitate  
 sua adversus tela valebant, quia molliter exce-  
 pium eorum jactum inutilem reddebant.* Qui plura  
 de hisce desiderat adeat Salamaf. in Plin. Vossii  
 de Theolog. Gent. Reique Rusticæ Scriptores  
 alios.

(a) *Theol. Gent. p. 1103.* (b) *l. 5. de L.L.* (c) *l. 10.  
 Epigr. 11.* (d) *l. 8. 37.* (e) *lib. 2. Epigr. 58.* (f) *lib.  
 11. 24.* (g) *Plin. l. 28. 6.* (h) *c. 23.* (i) *l. 6.  
 Epigr. 93.* (k) *lib. 3. Bell. Gall.* (l) *lib.  
 8. 48.* (m) *in Exercitat. Plin. p. 489.*

CAP. V.

- §. 1. Inventio purpuree Herculi Tyrio tribuitur; Ejus descriptio, & captura causa. ratio preparandi purpuream saniem. Purpurea mors.
- §. 2. purpura & colorem & vestimentum denotat purpura tinclum. Erat Rex colorum, magistratum insigne, hinc clavi in tunicis Romanorum nobilium. primitus interdicta fuit mulieribus & privatis.
- §. 3. Pro locorum diversitate ubi reperta, diversis est insignitæ nominibus. pro soli proprietate colorem variabat.
- §. 4. Conchylium est purpuree species, aliquando tamen generale nomen est omnium concharum, ejus cruor ostium appellatur, differt colore & temperamento a purpura. Confunduntur tamen sæpius apud Auctores.
- §. 5. Purpura olim magni erat pretii, nunc deperdita, purpura nostra ex plantis & herbis. Purpuree species ἀλιπόρφυρον & κόκκινον, descriptio ilicis coccum βαφικόν ferentis. κόκκος de grano & fructu. vermiculus cocci pro colore, ejus natura, Græce σκολήκιον, Ebraice צלצל audit.
- §. 6. Color coccineus, purpureus, hysginus, an distincti? χλαμύς κοκκίνη, ιμάλιον πορφύρεον idem.
- §. 7. Blatta qua ratione purpuram signat.
- §. 8. Encausium atramenti genus ex purpura. Encausium sicca πιθια. Encausium deperditum.

**P**rogressu temporis, invalescente luxuria, tinctura vestium quoque inventa est, & vestes variis coloribus tinctæ usu receptæ; quarum cum purpureo colore infectæ primum sibi vindicant locum, utique de eo hic paucis agendum. Fertur autem purpuram apud Tyrios primum inventam esse: Erat quippe ea civitas a feracitate & fœcunditate purpuræ maxime commendabilis, *cujus omnis fere nobilitas purpura & conchylio constabat.* ( a ) Qua occasione vero reperta est, prodit Polydorus Vergil. ( b ) ex Polluce: *Ferunt inquit, Herculem nymphæ indigenæ cujusdam amore correptum, cui nomen Tyros, quem sequebatur canis, qui irreptantem scopulis purpuram conspiciatus, peresa caruncula, sua sibi labra cruore puniceo infecit. Cum igitur ad puellam adisset Hercules, delibata illa est insueta tinctura, affirmavit sibi cum illo posthac nihil fore, nisi ad se vestem adferret etiam canis illius labris splendidior.* Quocirca Hercules invento animante, collectoq; sanguine, munus puellæ dedit, primus ut dicuntur puniceæ infecturæ auctor. Hinc patet purpuram proprie piscem esse ex concharum genere, qui nobilem illum succum tingendis vestibus adeo expectum in mediis faucibus habebat, auctore Plinio ( c ) *Liquoris hic erat minimi in candida rena nigrantis rosæ colore sublucentis, vel ut Plinius alibi loqui amat ( d ) nigricanti aspectu, isque su-*  
spe-



*speciem cruore resurgens. Plato rubrum alboque permixtum dicit. Hunc cum vita evomunt, unde vivas capere purpuras oportet: reliquum corpus sterile est. Potissima vero earum capturae causa voracitas est, quae tanta perhibetur esse, ut etiam de gulosis & edacibus proverbio trito dicatur: Purpura voracior. ( e ) Hoc probe cum noverint Porphyrici, conchulas magno numero in nallas collectas, in mare demittunt, sentiens appetitam escam purpura, porrecta lingua, longitudine digitali, duritieque tanta, ut conchulas & quascunque sui generis testas, perforare possit, ( f ) illas invadit. Hæ vero aculeo extimulatae, incolumitati suae consulturae, corticibus clavatis, linguam infestam comprimunt, eamque mordacius detentam, haud quaquam amittunt. Hoc modo purpura pendens tollitur, edacitatis suae poenam datura. Unde per conchylium, nallae per linguam applicitum, hieroglyphyce denotatur is, qui de gula mulctatus est. ( g ) Porro majoribus purpuris, detracta concha, nobilem illum florem auferbant. Minores uno ictu saxi vel trapetis conterebantur, qui ictus si fefellerit, & purpura non statim exanimata fuerit, frustra repetebatur, quia sanguis per universum corpus diffusus evanuit. Unde Virg. ( h ) Valido vulnere peremptos purpuream animam vomere, dicit. Nec illepidum est, quod traditum de infectore quodam purpuratio, legitur: qui deprehensus in inringendi ratione dolose agere, cum eo nomine ultimum subiret supplicium, joco locum sibi ad-*

huc superesse putans, illud Homericum retulit:

- - - - - τὸν δὲ

Ἐλαβε πορφύρεος γαῖα ἄϋ, καὶ μοῖρα κραδίη.

Cepi vero hunc purpurea mors & parca fortis. ( i )

Rationem vero qua præparabatur hic sanguis ut

tincturæ aptus redderetur, exponit nobis Panci-

roll. ( k ) his verbis: Coquebatur sanguis iste una

cum vena prius aperta, in vasis plumbeis, adjecta

tamen aqua, modico vapore & longinqua fornacis

cuniculo. Inde splendidus ille & quasi inter-

medius inter rubrum & nigrum eliciebatur color,

qui cariophylli est: nec enim ullum alium similia-

rem huic puro.

( a ) *Comr. Diet. Ant. B. V. T. p. 593.* ( b ) *l. 3. 6. de in-*

*vent. Rerum.* ( c ) *l. 9. 36.* ( d ) *l. 9. 38.* ( e ) *Athen. Deiph-*

*osoph. l. 37.* ( f ) *Plin. l. 9. 36* ( g ) *Henr. Salmuth. in*

*Pancir. Tit. 1. l. 1.* ( h ) *l. 9. Æneid.* ( i ) *Cæt. Rhod. Antiq.*

*l. 8. 11.* ( k ) *lib. 1. Tit. 1. de reb. perditis.*

§. 2. Purpurea hac sanie sic præparata, quis

colore imbuebantur purpureo lana & serica, ad

vestes inde conficiendas, factum est ut color ipse a

matre, purpura vocetur, & purpura tam colorem

ipsum, quam vestimentum purpureo colore tin-

ctum denotet. Sic apud Sueton. ( a ) Nero Clau-

dus *Piscatus est veste aurato, purpura coctog, funi-*

*bus nexis. Purpura ad talos demissa.* Cic. *Purpura*

*pendit causidicum Juven.* ( b ) Et quandoquidem

purpureus color in vestimentis laudatissimus anti-

quis fuit & quasi *Rex colorum*, ut loqui amat

Pancirollus, ( c ) præcipuum erat purpura Regum & Magistratum gestamen & insigne; quod ex Phrygiorum, Assyriorum, Persarum & Romanorum Regibus satis constat. Ideo Horat. ( d ) Reges purpura ornatos, *purpureos Tyrannos* nuncupat. Romulus Romanorum Regum primus, purpura usus est in Trabea, fatente Plinio. ( e ) Sic quia ab exordio urbis conditæ multus fuit purpuræ Romæ usus, Romanis  $\delta\gamma\chi\eta\varsigma$  Symbolum erat, & exactis regibus, consularis potestatis nota. Sic apud Flor. ( f ) *septima purpura* pro septimo consularu legitur. Deinde Imperio Romano ad Monarchiam deducto, idem obtinuit mos: nam apud Trebell. Poll. ( g ) Balista dicitur *purpuram sumsisse, ut Romano more imperaret.* Hinc color purpureus quoquo modo infanti admotus, spem faciebat Regiæ fortunæ. Hujus negotii vestigiura habemus in Albino, de quo sic Jul. Capitol. ( h ) *Accessit omen, quod cum pueri ejus familia russulis fasciis illigarentur, quod forte lotæ atq; ude essent russulæ fasciole, quas mater pregnantis præparaderat, purpurea matris illigatus est fascia.* Quin & institutum est postea ab Imperatoribus Constantinopolitanis, ut Augustæ liberos non parerent nisi *ἐν πορφύρῃ.* ( i ) Distinguebat præterea purpura ab Equite Curiam, idque mediantibus clavis quibusdam, qui secundum quosdam vid. Kipping. ( k ) erant plagulæ sive particule purpureæ, in modum clavorum vel rotundæ vel quadratæ, tunicis nobilium Romanorum assutæ. Gal-

lus vero quidam, cui nomen Dacier, in Comment.  
 in Sat. 5. lib. 1. Horat. totus in eo est, ut probet  
 clavos h. lce, taniolas fuisse purpureas, illorum lin-  
 gua *Galons*, ab utraque latere laticlavi, a collo  
 verius pedes deductas; hasque latiores, latum cla-  
 vum, angustiores, angustum clavum constituisse,  
 sic verba habent: *le laticlave estoit une tunique,  
 ou veste tout du long, bordée par devant d'une ou  
 de deux bandes de pourpre, plus ou moins larges,  
 appliquées aux deux côtez comme nos galons. Les  
 bandes larges faisoient le laticlave, & les étroites  
 faisoient l'Angusticlave.* Nec ab eorum stat sen-  
 tentia, qui clavos h. lce a similitudine clavorum  
 esse nuncupatos affirmant; sed ait veteres, omne id  
 clavum appellasse, quodcunque aptum natum erat  
 alii rei applicari. Pergit auctor. *Les Anciens appel-  
 loient clavum, clou, tout ce qui fait pour estre appli-  
 qué sur quelq; chose.* his latioribus Senatorii viri,  
 angustioribus equestres utebantur. Ita laticlavii di-  
 cebantur qui dignitate erant senatoria, Angusti-  
 clavii, qui inter equites censabantur. ( l ) In ata-  
 te prætextata, quæ ad annum XV, ut vult Kip-  
 ping. ( m ) vel ut alii, ( n ) ad XVII. durabat, Ro-  
 manorum filii nobiles togam *ἡμίπυρον*, id est,  
 cui limbus & ora per circuitum purpura prætex-  
 cebatur, gerebant. Neque vero pueri tantum do-  
 nec virilem sumerent, verum etiam puellæ inge-  
 nuæ, ejusmodi prætexta utebantur donec nubere-  
 rent. De illis testis est Sueton. ( o ) *Mitissis à ple-  
 be proprios ordines assignavit, prætextatis cunctum*  
tu-



*suam, & proximum pedagogy. De his Propertius (p)*

*Mox ubi jam facibus cessit prætecta maritis*

*Vinxit & acceptos altera victa comas.*

*Cic. in Verrem. Eripies pupillæ togam prætextam.*

Purpurati quoque sacrificabant. Et Imperatoris vestis triumphalis erat purpura cum intexto auro picta, clavos aureos habens. De prioribus testis est Valerius Trib. Pleb. apud Liv. (q) *Purpura viri utemur in Magistratibus prætextati, in sacerdotiis, liberi nostri prætextis purpura togis utentur.* De posteriori Silius Italicus:

*Ipsæ adstans curru atq; ostro decoratus & auro,*

*Martia præbebat spectanda Quiritibus ora.*

Ut vero Regiæ dignitatis & Magistratus insigne erat; ita privatis interdicta fuit, qui nec fucandæ, nec distrahendæ illius facultatem habebant. (r) sed nec segmenta aut frustula illius in mercimoniis esse potuerunt. Imo & mulieribus usus purpuræ primitus prohibitus fuit, sequiore tamen tempore concessus, ut ex hisce Livii (s) appareat *Tunc enim primum sancitum fuit ut mulieribus de via cederetur, ut in auribus aureis, ut purpurea veste, ut aureis Segmentis, ut novo vitæ discrimine uterentur.* Vid. Henr. Salm. in Panciroll.

(a) c. 30. (b) sat. 8. v. 135. (c) Panc. l. 1. T. 1. (d) Od 35.

(e) l. 9. 36. (f) Flor. l. 3. c. 21. 17. (g) in Trig. Tyr. an. c. 30.

(h) c. 5. (i) vid. Causab. ad d. l. (k) Rip. Ant. Rom. l. 4.

dist. 9. (l) Ros. Ant. c. 33. (m) d. l. (n) vid. Rosin. d. l.

(o) In Aug. c. 44. (p) l. 4. (q) l. 34. (r) l. 1. Cod. § 3. *Quæ*

*res vendi non poss.* (s) lib. 11.



§. 3. Pro locorum diversitate ubi reperiebatur purpura, diversis quoque insignita est nominibus. Sic *pelagia* dicebantur, quæ in sinibus longe littoribus degebant, de quibus sic Aristoteles, αἱ μὲν ἐν τοῖς κόλποις μεγάλαι καὶ τετραχῆαι. His opponuntur *Littorales*, de quibus sic idem: αἱ ἐν τοῖς αἰγιαλοῖς καὶ πρὸ τὰς ἀκτῆς, τὸ μὲν μεγάλος εἰσι μικραί. Idem Plin. lib. 9. cap. 36. videtur innuere dicendo: *Buccinum non nisi petris adheret, circaque scopulos legitur; purpuræ nomine alio pelagiae vocantur.* ( Sic enim continuanda docet Salmast. ( a ) hæc verba, quæ alias in libris, capitibus dissecta divelluntur. ) Hic pelagias purpuras dictas significat, quod in alto mari degerent, ad differentiam buccinorum, quæ petris adherent, & circa scopulos leguntur; *Nec enim universo ille generi nomen hoc dedit quod est proprium soli ac pastus*, inquit idem Salmastius. Præterea succum plerumque nigrum pelagiæ, littorales vero rubrum gerebant. Hoc affirmat Aristot. καὶ τὸ ἄνθος ( de pelagiis loquitur ) αἱ μὲν πλείσται μέλαν ἔχουσι. Pelagias porro purpuras in plura genera subdividit Plinius: Sic enim infit: *Lucense putri limo & algense nutritum alga, vilissimum utrumque. Melius Tanienense, in taniis maris collectum, hoc quoque etiamnum levius calculensi, id appellatur a calculo maris, mire aptum conchyliis. At longe optimum purpuris dislocense, id est, vario soli genere pastum* Buccinum autem conchæ minoris nomen est, sic di

dictum a similitudine buccini quo sonus editur, longeque purpura vilis, unde alligatur pelagio medicamento, cum alias per se colorem non retineat. Sic enim Plin. ( b ) *Buccinum per se damnatur quia fucum remittit. Pelagio admodum alligatur, nimisque ejus nigrities dat austeritatem illam nitoremque qui quaeritur corci.* Alligari vero dicuntur colores, cum non facile eluuntur, nec fucum remittunt. Ob magnam purpuræ feracitatem circa urbem Tyrum, purpuræ aliquando absolute Tyriæ vocantur, ut & vestes eo colore tinctæ. Sic Ovid. ( c )

*Sive erit in Tyriis, Tyrios laudabit amictus.*

Et ex baphio ejus loci præstantissimo, ubi bis tingi solita erat, *Dibapha* audit. *Διβαφῶν* meminuit Horat. ( d )

*Muricibus Tyriis iterata vellera lana.*

Ab urbe Peloponesi Hermione prope Argolium sinum, quæ purpuræ proventu nobilis erat, Hermoniacæ nuncupata est. Plutarchus narrat, Susis ab Alexandro M. captis, ibi *πορφύρας ἑρμιονικῆς, ἑρεθῆναι τέλανθα πελακισχίλια, συνκειμένης μὲν ἐξ ἐλῶν δέκα διόνῶν διακοσίων, προσφαλον δὲ τὸ ἀνθος ἐπὶ καὶ νεαρὸν φυλάττης.* Purpuræ Hermoniacæ inventa fuisse talentorum, quinque millia, annis servata decem minus ducentis, quæ florem recentem adhuc ac novitium retineret. De hac purpura posse accipi locum Ezech. ( e ) ubi meminuit Propheta purpuræ ex insulis Elise allatæ, existimat Bochart. ( f ) qui E-

liffæ nomine Peloponnesum merito venire multis probat ibidem. A Tænaro Laconicæ regionis promontorio, purpura Laconica nomen habet, de qua Horat. (g).

- - - - *Nec laconicas mibi*

*Trabunt honestæ purpuras clientæ.*

Lampridii ætate clarissimum purpuræ genus vulgo *Probianum* vocatum fuit ab inventore quodam Probo, (h) Clara omnis purpura generali nomine quoque appellata est *Alexandrina*, quod claræ purpuræ gravissimus & fastidiosus exactor olim existisset Alexander. Claræ vero purpuræ sunt, quæ plus habent luminis quam coloris, hæc que *ὀξείας* Græci vocant; ut contra saturæ & mæracæ, quæ plus habent coloris quam luminis, vid Salmaf. (i) Plura ejusmodi purpuræ epitheta videantur apud auctores passim, Pro soli denique proprietate colorem variabant purpuræ. Hujus rei nobis testis est Vitruvius, qui affirmat eas apud Tyrum quidem rubrum, apud Aphricam autem puniceum succum emittere. Cornel. Nepos in Fragment. (k) purpuræ violacæ meminisse. *Me juvene purpura violacea vigebat.* Videatur de his Dalecamp. in Plin. (l).

(a) *In exerc. Plin. p. 1133.* (b) *l. 9. 38.* (c) *l. 2. de Arte*  
 (d) *Epod. 12. v. 21.* (e) *c. 27. 7.* (f) *Phal. l. 3. 4.* (g) *l. 2. Od. 18. 7.* (h) *Salmaf. ad Sever.* (i) *ibm. p. 1104.*  
 (k) *c. 8. 6.* (l) *l. 9. 38.*

§. 4. Purpuræ quædam species est Conchylium, quod est quidem ejusdem concharum generis, sed

sed non idem murex pilcis. ( a ) non secus tamen ac purpura verno tempore congregatur, mutuoque attritu lentorem quandam veluti ceræ emittit, ac circa canis ortum latet. ( b ) hujus cruore etiam conficiebatur color purpureus, quem *Ostrum* appellant, quod ex marinatum conchis elicitur. Hinc Virgil. ( c ).

*Arte laborata vestes ostrorū, superbae: & lib. 5.*  
*- - - Ostro perfusa vestes.*

Interdum tamen conchylium est nomen generale omnium concharum. sic Horat: ( d )

*Lubrica nascentes implent conchyliis Lunæ.*  
 Strictius vero sumitur, cum Dioscorides ( e ) τὸ κογχύλιον τῆς πορφύρας καὶ τὸν κήρυκα, *conchylium*, *purpuram*, *buccinum*, distinguit. Et conchylium a purpura diversum esse apertissime ostendit Plin. ( f ) dicens: non mirandum esse purpuram ab omnibus expeti, cujus tam insignis & eximius est color; de conchyliis autem miratur, quod & illa pretiosa essent, cum tam male olerent, nec gratum admodum colorem haberent. Differunt ergo potissimum tingendi ratione, *cum eadem quidem est materia, sed distat temperamento*, ut se habent Plinii verba. Lotium namq; in tingendo conchyliis admiscebatur, purpuræ non item: hinc grave virus & malum odorem in conchyliis notat. Præterea color in purpura abundantissimus est & saturatus; in conchylio dilutus & pallidus, ad cæruleum magis accedens, quam purpureum: ideo irrascenti similem mari vocat Plinius, Sueton. ( g )

quoque cum ait Cajum Caligulam, *pueris & feminis fascias purpurea ac conchylii distribuisse*, hocce duos colores distinguit, qui tamen apud alios confunduntur. Sic Juvenal. ( *h* ) *Horum ego fugiam conchyliis*, id est, vestes purpura seu murice tinctas: & *conchyliis tapetis* apud Plaut. ( *i* ) sunt purpurea.

( *a* ) *Polyd. de invent. Rer. l. 3. 6.* ( *b* ) *l. 9. 36.* ( *c* ) *l. 1. Æneid.* ( *d* ) *l. 2. Serm. Sat. 2.* ( *e* ) *Cap. de purpura* ( *f* ) *l. c. 36.* ( *g* ) *in Calig. c. 17.* ( *h* ) *Sat. 3.* ( *i* ) *Pseud. a. 1. sc. 2. 14.*

§. 5 Purpura ut olim crebri erat usus, ita magni erat pretii: Augusti namque Cæsaris ævo purpuræ violacæ libra, centum denariis Romæ venibat, & Tyria dibapha in libras denariis mille non poterat emi. ( *a* ) Quare cum posteritas semper luxuriola fuerit, merito cum Vergilio ( *b* ) mirari subit, purpuræ usum tam rarum & nostra tempestate fere ignotum esse, adeo ut etiam à Pancirolo ( *c* ) inter res deperditas numeretur, causam vero amissæ purpuræ autumat esse, quod Syria & alia quoque loca, in quibus illa deprehendebatur, in Turcarum, Barbarorum & incultorum hominum manus devenere. Huic assertioni consentit Vossius ( *d* ) inquit: *Hodie tam purpureus, quam conchyliis color non est à liquore purpura, sed ab herbis, & paucis post, olim iste honor erat aquarum & piscium.* Huc facit illud Conrad Diet. ( *e* ) *Porphyra genus est, species est ἀλιπόρφυρον & κόκκιον, alterum ex Ostro sive muricis senio, alterum ex grano ilicis humilis,*



*æterque color nomine purpura continetur.* Ilex  
autem hæc coccum βαφικὸν ferens, *aquifolia* com-  
muni nomine audit, omnes ilices comprehendens,  
quæ aculeatis sunt foliis & pungentibus; *aqui-*  
*folium* enim scribitur quasi *acuifolium*, Græce  
ὄξύφυλλος πρίνος, ut *latifolia* πλατύφυλλος. *Aqui-*  
*folia* hæc *ilex frutex* est parvulus nunquam arbo-  
rescens, eaque ratione distinguitur ab arbore  
quam simpliciter *Plinius aquifolium* nuncupat.  
videantur *Plin. (f) & Salmal.* in eundem locum.  
Granum autem ipsum, quo infectores ad puniceæ  
conficienda utuntur, est primo quasi scabies corticis  
inhærens, parvarum instar vesicularum, *cosculium*  
*Plinio* vocatur. Græcum est κοσκύλιον, κοσκύλλειν  
prop. est minutias excrecentes præsecare, inde  
κοσκύλλια ἔκοσκυλλάια, præsegmina pellium,  
quæ sutores e corio rescabant. Hinc ergo &  
κοσκύλια, grana illa, vesicarum more in fruticis  
cortice extumescencia, quæ abradebantur ad tin-  
gendas lanas. Vocantur etiam Græcis καὶ ἔξοκην  
κόκκοι, Latinis *cocum* & *coccus* vel *grana cocci*;  
(nam κόκκος & de grano & frutice usurpatur)  
hæcque non solum ipsa tincturæ idonea sunt, sed  
& vermiculi hinc nati. De quorum natura & ge-  
neratione adfero verba *Renodæi medici*; (g)  
*Totum hoc granum, inquit, satur ac pragnans est*  
*sanguineo cruore, qui post maturitatem perfectam*  
*diutius in membranula cosciliis, in vermiculos*  
*abit, vesicula tenui vascula pene relicta: qui ubi*  
*ad-*

adoleverint, nonnunquam fiunt alati, & volatus aufugiunt. Ante tamen ipsorum procreationem, studiose liquor dictus elici solet, ad Syrupi de Kermes apparatus, vel sericum tingendum; impediuntur dictorum, animalculorum generatio, vel interitus cito citatur sola aceti aspergine, qua exanimata cadavercula colliguntur, in massam viniatam coguntur, scoletium dictam. Hinc Julius Scalig. (b) scite coccum vocat patrem pusilli vermicule. Horum igitur sanies, quia coccineo tingendo præclara fuit, hinc vermiculum quandoque pro ipso colore dixerunt. Sic Emblemata vermiculatum, Lucilio est coccineo colore tinctum, & apud Hieronymum in epistolis, *pelles vermiculatae*, quas alio loco coccineas dixit. Et hodie quicquid rubet vermiculum dicimus. Itali eundem colorem *vermiglio*, quem Galli *vermillon* dicunt. Græcis vermiculus hæc σκολήκιον audit, unde putant nonnulli vocab. Scharlach deductum esse. Quamquam hæc vox: Conrad. Diet. auctore: (i) non male a *Sarra*, quo nomine Tyrus, urbs illa Phœnicæ celeberrima, insignitur, derivari posset, ut esset *Sar-lachen* quasi pannus de Sar, Laken enim Belgis pannus est. Videatur dictus auctor. Ebraei sua lingua vermiculum dictum *שׁלִי* appellant, quæ vox a Spiritu S. apud Esaj. (k) adhibetur ad exaggerandum populi Judaici peccatorum atrocitatem, quæ ibidem cum *cocci vermiculig; succo*, sive colore sanguineo & rubro; & eorum ablutio cum *nive & lana* confertur. Candidus enim color

lor puritatis animi indicium est, atratus lugentium, coccineus peccatorum & sauciatorum. Sic lana alba munditiam animæ signat in Apocal. (l) Punicei cruoris meminit Ovid. (m).

*Candida puniceo perfudit membra cruore.*

Nec sine emphasi, hic loci vocab. *עֲרִיב* cum voce *דָּוָשׁ* conjungitur: nam hæ simul junctæ *coccinum dibaphum*, seu bistrinctum notant, ut Exod. 25, 4. videre est. *דָּוָשׁ* namque est à rad. *דָּוַשׁ* quæ significat. *Iterare repetere*, & denotat intensum rubrum, quem colorem vulgo *Carmesinum* vocant. (n) *Erat itaque profundissimus & sanguinea rubedinis abundantissimus color, qui Ebraice essec Symbolum maculae spiritualis seu peccati (o).*

(a) *Corn. Nep. in fragment. c. 7. (b) l. 3. 6. de Invent.*

*Rer. (c) Tit. 1. l. 1. (d) Theol. Gent. 1. 4. 47. e) Ant. N. T.*

*in voce εἰκνυος. (f) l. 16. 8. 24. (g) D. sp. Med. 1. 1. 17.*

*(h) in Poëm. p. 352. (i) Antiq. Bib. V. I. p. 557.*

*(k) c. 1. 18. (l) c. 10. (m) Metam. 2. v. 609. (n) Ierf.*

*Isd. c. 25. Exod. (o) Conrad. modo dicto loco.*

§. 6. Quamquam discriminis nonnihil inter purpureum colorem & coccineum intercedat, quoniam ad rubentis ostri colorem acrius excitandum, cocco tinctæ lanæ, rubro Tyrio imbuebantur, hicque color Plinio *Hygginus* dicitur, sic enim ille: (a) *serrena miscere, coccoque tantum tyrio tingere ut fieret hygginus.* hinc *hygginus* color inter purpureum & coccinum fuerit oportet, unde alii pro cocco, alii pro purpura *hyf-*

hysginum usurparunt. Coccus & hysge idem frutex est Pausaniae, & tunc sequeretur, quod coccinum & hysginum idem esset color, quos tamen tota distinxit antiquitas, teste Salmas. (b) & Plinio. Ob mutuam tamen horum colorum communionem, variamque permixtionem, coccum cum rubro purpuræ muricisve colore, non raro confundi, & promiscue sumi, certum est. Sic Horatius. (c).

- - - - rubro ubi cocco.

*Tincta super vestes candere eburnos.*

Et tertio post versu.

*Ergo ubi purpurea porrectum veste locavit.*

Hic eadem vestis & tincta cocco & purpura dicitur. Hinc *χλαμύδα κοκκίην* apud Matth. (d) explicat Johan. (e) *ιμάτιον πορφύρεον*. *𐤒𐤍𐤅𐤃* sicut *coccinum* apud Elaj. (f) à LXX interpretib. vertitur *ὡς φοινικῆν*. *Φοινικίς ἢ πορφύρεϊς* a Julio Poluce pro eodem ponuntur, vide Kipping. in *Antiq. Rom.* (g).

(a) l. 9. 41. (b) p. 272, 273. (c) l. 2. Sat. 6. (d) e. 27, 28. (e) c. 19. 2. (f) l. 1. 18. (g) l. 4. c. 5. dist. 7.

§. 7. Quem colorem aureæ ætatis scriptores purpuram dicebant, sequioris ævi *blattam* vocabant. Hunc quidam volunt *blattæ* vermiculo deberi, pro quibus stat Paulus Diaconus in *Glossis* ajens: *Blattæ genus purpureum vermis*. Quem tamen locum Vossius (a) arbitratur corruptum esse, & pro *vermis* debere rescribi *vestis*, adductus hisce rationibus: Primo quod Horatius, Plinius

Martial. crebram hujus blattæ faciunt mentionem, nullibi tamen ex illo purpuram confectam esse affirmant. Deinde edocet, postquam jam declinavit Romani puritas sermonis, blattam tandem cœpisse pro osse ex nare purpuræ accipi, nec cujusvis, sed Byzantiæ, in testimonium citans Actuarium quendam, cujus hæc hæc verba: *βλάττον Βυζάντιον ὄσιν τῆς ῥινὸς τῆς πορφύρας*. *Blatta Byzantia est os ex nare purpura*. Ex hac denique occasione sequentis ævi Scriptores, nomine blattæ purpuram etiam exquisitissimam *μετωνομικῶς* significari voverunt. Sic Cassiodorus. ( b ) *Pontus castorea, blattam Tyrus, æra Corinthus*. Blattas tunicas meminisse in Aureliano Vopiscus ( c ) hasque purpureas fuisse probat Salmas, ad eundem locum. De inusitata portentosi Neronis luxuria Vitruvius narrat, quod hic *frigidis & calidis se lavaret unguentis, retibus aureis piscaretur, quæ blatteis funibus extraheret*.

( a ) *Theol. Gent. l. 4. 90.* ( b ) *lib. 1. Variar. Let. Epist. 11.* ( c ) *c. 46.*

§. 8. Nec hic præterire possum atramenti quoddam genus ex purpura confectum, quod *Encastum* nominatur. Hoc Imperatores in privilegiis & literis subscribendis olim usi sunt, cujusq; usus privatis sub pœna capitali & bonorum publicatione erat prohibitus. Unde, ut habet Pancirollus: ( a ) *Sultanus Persiæ Rex, Imperatori Constantinopolitano inanes magnorum munerum pollicitationes, quæ rubricatis quidem literis inscriberentur,*



sed exigua præberentur, objecit. Hujus encaustici confectio a Pancirollo, dicto loco, sic delineatur: *Terebatur in pulverem conchylum purpura, & adjiciebatur nonnihil de cocto ex ipso colore, ac simul liquabatur, reduc̄taq; inde materia liquida & densitate sua scriptioni apta, dicebatur Encaustum.* Hinc *encaustica pictura* suam traxit originem, quam Pamphilum Apellis Præceptorem, primum professum esse ferunt. Hujus ratio duplex erat: alia cera, alia cestro fiebat; Ceras discolors habebant pictores, quas tabulis inductas, admoto igne lævigabant exæquabantque, ut exprimerent quid vellent. Hoc *ceris pingere t̄o penicillo pingere* Plin. ( b ) opposuit: nam penicillo in illo genere usus non erat. Instrumentum vero quo in cornu encausto pingebant, *cestrum* appellat Plinius dicto loco: *Encaustice pingendi duo fuisse genera constat, cera, & in ebone cestro, id est: vericulo.* Sed & Tertia ratio accessit, ubi & penicilli usus erat, quæ pictura in navibus, nec sole nec salo ventisve corrumpitur. Hinc *encaustus* dicitur qui encaustice pictus est, coloribus scilicet inustis & resolutis igni ceris. Unde Martial. ( c ).

*Encaustus Phaëron tabula depictus in hac est.*

*Quid tibi vis, dipyron qui Phaëtona facis?*

Quasi dicat, inique fecisse pictorem, qui cum semel fuerit combustus Phaëron, iterum eum comburat. Sed satis de hisce, sericium videamus.


( a ) Tit. 2 l. 1. de rebus perditis ( b ) l. 35. c. 11.

( c ) l. 4. Epig. 47.

## CAP. VI.

§. 1. *Sericum à Seribus nomen traxit. De Serum solo discordantes sententiae. An hodierni Sineses antiquorum fuerint Seres? maximus serici proventus in Sina. Causa veterum de Serum situ dissentionis.* §. 2. *A Seribus ad Persas, Medos & Aegyptios, sericum devolutum est. Vestis medica & serica eadem. Qua occasione innotuit Europaeis sericum vermium esse opus. Romae sericum ἰούχρονον fuit. Quo tempore in Italia, Sicilia, Gallia &c. officina serica instituta sunt. Cur in Regionibus Polo arctico vicinioribus seres vivere nequeant.* §. 3. *Ser & Bombyx Synonyma. Hujus admirabilis metamorphosis est resurrectionis argumentum.* §. 4. *Disquiritur an sericum bombycinum sit opus, an vero arborum factus. Principio viri veste holoserica non utebantur. Heliogabalus primus vestem Holosericam gerebat. Vestis subserica qualis.*

## §. I.



ericum à Seribus nomen obrinuit, gente quidem veterum scriptis multum celebrata, ubi terrarum vero sita, vix duo inter se conveniunt Scriptores. Alii enim eam cum Plinio (a) faciunt Scytharum gentem, ut Polydorus; (b) alii ut Strabo, (c) ad Indiam eam referunt. Lucanus, (d) Seres ad Nili fontes collocat. Ammianus Marcell, (e) Hunc Populum sic describit: *Ab occidentali latere Scythis ad-*

nexus est, a septentrione & oriente nivosa solitudini  
 eobarens, qua meridiem spectat, ad usque Indi-  
 am porrectus & Gangem. Clarissimus autem Vol-  
 sius, inter tot tamque diversas variorum Auctorum  
 sententias, non dubitat affirmare, dictam gentem  
 eandem esse cum Sinensibus hodiernis, & ab illis  
 sola tantum appellatione discrepare, adeoque va-  
 stissimi illius imperii sub nomine Serum, ve-  
 teris ævi gentibus aliquam existisse notitiam.  
 Huic suæ opinioni ita fedit, ut in hæc verba e-  
 rumpat: *Sinenses hodiernos antiquorum Seras*  
*qui esse dubitat; is quoque dubitet licet idem ne*  
*nunc atque olim sol luxerit.* (f) Habet vero etiam  
 Trigautium (g) præter alios, sibi præcuntem;  
*Qui nihil dubitavim, inquit, eandem regionem*  
*( Sinensium puta ) quoque esse Sericam. &c.*  
 Hanc sententiam juvat, quod vix ullibi terrarum  
 tantus sit serici proventus, nam Sinenses sericum  
 colligunt optimum abundantissimumque, quod  
 exquisitis tingunt coloribus, & in tanta copia, ut  
 juxta P. Martinium in Archlante Sinico, quotan-  
 nis Imperatori Sinensium pendantur tributi loco  
 serici crudi libræ 272093. serici densioris panni  
 1655432, panni serici rarioris 369480. &c. (b)  
 Causa vero tantæ veterum de Serum situ dissen-  
 tionis esse forte potest, quod nondum vastissimum  
 hoc Sinense Imperium Europæis nostris, utpote  
 longe distitis, latis innotuit. Peregrinis enim  
 hujus terræ visendæ copia non dabatur, nisi sub  
 capitis vel rigidissimæ servitutis periculo, donec

eandem Tartarorum Magnus Cham, felicissimo ar-  
 morum successu, hoc regnum sibi Anno 1630 sub-  
 egit, atque hodiernum, non magis Tartarorum Ma-  
 gnus Cham, quam Sinensium Imperator nuncu-  
 patur. Ab illo tempore plurimi, præcipue Lusit-  
 anorum, vel mercaturæ exercendæ, vel Christi-  
 anæ religionis propagandæ gratiâ, illuc devenie-  
 runt, & Imperium hocce Europæis notissimum  
 reddiderunt.

(a) l. 6. 17. (b) l. 3. 6 p. 224. (c) l. 15. p. 463. (d)  
 l. 10. p. 292. (e) l. 23. (f) *Ad Pomp. Melam. l. 1. c. 2.*  
 (g) l. 1. c. 2. *Hist. de Reg. China.* (h) *vid. Eric. Ro-*  
*land. in Diss. de M. Sinar. Imp. sub C. P. Zagerlöf.*

§. 2. Ab hisce Seribus ad Perlas, Medos, Assy-  
 rios & Ægyptios serici usum devolutum esse, vel  
 exinde patet, quod illa vestis, quæ veteribus Græ-  
 cis olim dicta est *Medica*, qui nullam aut exigua-  
 am Serum notitiam habuere, postmodum ab illis  
*Serica* appellata sit. Ita Procop. (a) ἀυτῆ δὲ ἐστὶ  
 μέλαξα, ἐξ ἧς εἰώθει τὴν ἐσθῆτα ἐ γαῖαν, ἣν πῶ-  
 λαί μὲν Ἕλληνας Μηδικὴν, πικρὴν δὲ Σηρικὴν ὀνομάζουσι.  
 Persia vero ab Alexand. M. devicta, sericum dela-  
 tum est in Græciam, & florentibus rebus Roma-  
 nis, in imperium Romanum, ubi adhuc ἰσχυροῦσαν  
 fuit: nam libræ auri libræ serici erat, usque ad  
 Justiniani Imperatoris tempora, cui permolestum  
 fuit ab hostibus, Persis, sericum tam care emere,  
 ergo commode per monachos ex Asia reduces,  
 de vermibus sericum nentibus, Cæsari indicium  
 fa-

factum est, qui quidem vermes se non apportare posse fassi, ova vero, ex quibus vermes excluderentur, se comparaturos receperunt, ideoque remissi, ova Byzantium apportarunt, quæ in fimo collocata in vermes transformata sunt, adeoque sic vermes sericum nentes, Europæis nostris innotuerunt ( b ) A Græcis in Italiam, tempore Roberti Regis Siciliae textrina serici devenit, qui expugnatis in Græcia Athenis, Corintho aliisque urbibus, opifices inde in Italiam deduxit captivos, eosque in urbe Siciliae Panormo collocavit. Ab Italia denique in Galliam, sub Imperio Henrici IV, Galliarum Regis devectum est, qui officinas sericas propria impensa instituit, ut refert Thuanus; & sic serici conficiendi ratio indies in Europa aucta est, adeo ut in Persia, quæ felicior serico est regio, pondo serici hodie floreno, quod olim centum florenis venditum est. ( c ) In nostra autem carissima Patria, & aliis Europæ regionibus, utpote polo arctico vicinioribus, vermium horum ad setam faciendam nullus usus esse potest, partim ob frigoris acerbicatem, partim ob foliorum mori inopiam, quibus vermibus hic tanquam cibo sibi maxime salutari sustentatur; quamquam etiam ulmi foliis, lactuca & rubo pascei soleat, deficientibus mori foliis, docente Gerhard. Joh. Voss. ( d ).

( a ) l. 1. de Bell. Persar. ( b ) Voss. Idololat. Gent. l. 4. 90. ( c ) Conrad. in Antiq. B. V. T. p. 429. ( d ) idem Voss. l. 4. c. 66.



§. 3. Vermiculus hicce *Ser à Seribus* communiter appellatur, cujus Synonymum est *Bombyx*, quam vocem nonnulli *Βομβυξ* *τὸ Βομ. Βῆν*, qui sonus proprie est apum & vesparum derivant, respicientes ad Bombycum sonum, quem tempore quo papiliones sunt facti, edunt. Isidoro autem Hispanensi alia vocabuli hujus originatio placet. *Bombyx*, inquit *vermis frondium*, ex cujus textura bombycinum conficitur, appellatur hoc nomen ab eo quod evacuetur dum fila generat, & aër solus in eo remaneat. Sed nos nulli hic litem movemus. In hoc animalculo mirificissimus sane est naturæ lusus, & admirandum maxime artificium, ut se natura potissimum prodit in minimis. Hic audiamus D. Doct. Conrad. Diet. (a) qui ex Hieronymo Vida, hanc bestiolam ejusque affectiones sic describit: *Mox in erucam; mox in papilionem se vertit, more angulum aliquoties veterem exuit cutem, atque dum pristinas parat abolere exuvias, in veterem incidit triduanum, qui provenire solet die quoque decimo, quo finito, cibum, a quo hactenus abstinuit, iterum appetit. Lethargum istum excipit bombyx erecto capite, atque in eadem existit corporis *ἕξει*, donec serpenticum more senecam exuerit. Intra *δύμηνορ* adolescit, & post illud temporis spatium sensim a cibus abstinet, & nitore quodam contracto tenuissimum ac subtilissimum ore filum, quod setam dicimus emittit: quo observato, statim vermiculi isti ab aliis sunt separandi, & cucullis, vel alii vasi ad id destinato in,*

includendi, ubi tunicas sive nidulos, arte mirabili intra triduum, nonnunquam biduum con-  
texunt, sericum aut album, aut flavum, aut mix-  
tum albedine & flavedine conficientes. Quia nec  
omnes bombyces unius sunt coloris, ut vult Hie-  
ronymus Vida; sed dantur etiam sufflavi & cine-  
rei. vid. Voss. (b) Pergit Dietericus: Hoc eorum  
filum tam tenue est, ut pene visum fugiat, tam  
parvæ magnitudinis, ut cum Marone dixeris: (c)

Urbem bombycis possis cum dare filo.

Niduli ipsorum multis filis hirsuti & horricomi,  
formam representant Caryotæ, unde & apud nostra-  
tes id habent nominis Dattell. Item in his per o-  
viduum & quod excurrit, semisepulci jacent ver-  
mes, qui tunc recte appellantur bombylii. Dum  
vero ita semisepulti jacent, bombycinarii solent a  
nidulo illo volubili, quem etiam cocconem, Græci  
κοκκήλιον vocant. sericum abrumpere, antequam  
papiliones prorumpant. ἡμιτέφην hanc, brevi no-  
va insequitur metamorphosis; siquidem ex vermibus  
nova metamorphosi alati cornigeriq; prodeunt pa-  
piliones sexu differentes, Græcè νεκύδαλοι dicti,  
quia non diu vivunt. Coitum hi reliquarum ani-  
mantium instar appetunt atque ex coitu femella  
pariunt ova minutissima ingenti numero, quæ  
principio flavum, brevi post cinereum trahunt co-  
lorem, atque aservata in alterum annum, tempe-  
re certo excluduntur. Tandem cum omnes natura  
vices subierunt, alati bombices, seu verius papi-  
liones, brevi post moriuntur. Huc usque ille.

Hanc

Hanc bombycis admirabilem metamorphosin in resurrectionis Argumentum apposuit, in elegantissimo suo Phrenoschemate nobiliss. Dn. Stiernhielm ad calcem sui Archimedis reformati, cujus tessaradecasticon, cum elegantiam sapiat, & maxime huc quadret, hic appono.

Håle stilla mit Föruuffe sig sachteelig besinna  
 Swad det hållst wara må! Du seer här en figur,  
 En ußell naken kropp / en mark / ett Creatur /  
 Som ingen skapnad har / thet intet är at finna  
 Som ögat lyfter see. Wten märk: här ligger inne  
 Weer du en täncka kan; en nytrig / ädel / pur /  
 En sålsam underlig af GUD beredd natur:  
 En matt / thes spiz är blad / thes tid är arrigt spinnat /  
 Thes spona Silkestråd: thes wärk och wäf är Guldens  
 Afblad gör han en skatt: ett thes han room och ma  
 Inweklat indre i sin wäf / och listwec stöcker / (ger)  
 Wten sij en ny figur med wingar prydd med tijden  
 Här kommer fram igen / upqwicker sin och sager?  
 En lustig Sool hans siäl med krafft en gång upwäcker.

Hinc B. Basilus ( d ) jubet mulieres quando sericum gestant hoc intueri, & resurrectionis futuræ hinc capere argumentum. Nam qua potentia DEUS ex bombyce sericum nente, papiliones facit, eadem & corpora nostra immutabit in spiritualia.

( a ) Hist. Animal. Sacra. p. 429. ( b ) Th. Genes. l. 4. c. 69. ( c ) 1. Aensd. 372. ( d ) Hexam. 8.

S. 4. Olim acris fuit quaestio & anceps, utrum sericum esset bombycinum opus, an arborum faecus, sive fieret e corticibus, sive foliis depecteretur? Priorem sententiam affirmat Pausanias ( a ) qui omnium explicatissime sic scribit: *Quae fila ad textrinam usurpant Seres, ea nulla e stirpe sunt. Nasceitur in eorum terra vermiculus, quem Serem Graeci, ipsi longe alio appellant nomine. magnitudine est id insectum dupla maxime scarabaei, caetera araneo similitimum. Hoc Seres accurate nutriunt, sellas illi, tum aestivas, cum hybernas fabricantes. Pedibus ( habet vero octo quot & aranea ) sub arboribus textile opus facit, annos fere quatuor panico alitur: quinto demum ( nequā anim longior contigit vita ) viridem apponunt arundinem, quo pabulo bestiola illa maxime delectatur, eo satur sagina rumpitur, educunt inde à visceribus staminum volumina. Eandem opinionem fovet Servius ad illud Virgilii. ( b )*

*Velleraque ut foliis depectant tenuis Seres.*

Dicens: *Apud Indos & Seres sunt quidam in arboribus vermes qui bombyces appellantur, qui in araneorum morem fila tenuissima deducunt, unde est sericum. Hisce consentit Chrysostomus, qui bombycinam vestem pulchram quidem ait, sed τῶν σκωλήκων ὕφασμα. vermium telam. Posterior tamen sententia erat vulgarior, quam sequuntur Ammianus: ( c ) Apud eos ( Seres ) abunde sylva sublucide, à quibus arborum faecus aequam asperginibus crebris, velut quadam vellera,*  
mol-

*mollientes, ex lanugine & liquore admistam subtilitatem tenerissimam, pedunt, nentesque subtegmina conficiunt sericum.* & Plinius (d). *Seres lanificio sylvarum nobiles persulam aqua depectentes frondium canitiem.* Paria Tertuliani: de habitu muliebri: *Seres arbores nent.* & Virgil. modo dicto loco. Sed post Justiniani Cæsaris tempora nulli amplius dubium fuit, quin sericum bombycinum esset opus. Quia quo vultu negari possent hæc peculiaria, quæ in Historia zonaræ narrantur de Monachis ex Asia reducibus, ova serum sericum adducuntibus, de vermium exclusione & aliis circumstantiis? Dixeris etiam ante constare potuisse, vestes coas ex bombyce fieri, quippe notum erat ex Aristotele (e) Pamphilam Latoi filiam, primum in insula Co, Carixæ vicina, instituisse bombycinam deglomerare & telam hinc texere. verba sic se habent: *Πρώτη δὲ λέξις αὐφάσαι ἐν κῶ παμφίλη λατῶς θυγάτηρ.* & ex Plinio: *Coam Bombycinam etiam vicis in usu esse, Assyriam solis mulieribus.* & ex Propert. (f).

*Nec si qua Arabio lucet bombyce puella.*

Sed illa de Assyria Arabiaque bombyce, potius intelligenda puto de tela serica, quæ inde apportaretur: metonymice enim bombyx sæpe pro tela ex eorum lanugine texta sumitur, & sic sæpe genere foeminino occurrit: ita Plinius: *Assyria tamen bombyce adhuc foeminis cedimus.* Deinde non quidem ignorabant Coam vestem neci à bombyce, sed distinguebant veteres inter Coam vestem,



& illam ex Arabii vel Assyrii bombycis tela tex-  
tam, & disparem esse originem serici credebant.  
Causam hujus erroris autumat fuisse Vossius (g)  
*Quod Indici bombycis tenuius ac subtilius filum*  
*erat, crassius autem vermes eoi.* Hinc factum forte  
est, quod viri, Plinii ætate Cois uterentur, & Se-  
rico solæ feminae; sic enim ille modo dicto loco:  
*tam multiplici opere, tam longinquo orbe petitur,*  
*ut in publico semina transluceat.* Non multo  
post tamen & viri serica uti cœperunt. unde A. Urbis  
Conditzæ DCCCLXIX. auctore Tacito (h) *decretum fuit*  
*à Senatu, ne vasa auro solida ministrandis ci-*  
*bis fierent, nec vestis Serica viros sædaret.* Quam-  
quam principio quidem viri non *Holosericis*, sed  
*subsericis* utebantur, quarum aliæ erant *tramo Se-*  
*rica* stamine linteo; aliæ vero, quarum stamen se-  
ricum, trama de lino erat; & hæ sunt quæ proprie  
*subserice* dici debent, quæ subtexitum haberent Se-  
ricum. (i) Ideo & Aurelianus, ut Vopiscus me-  
morizæ prodidit, nunquam vestem ex integro Serico  
contextam usurpavit, nec aliis ut usurparent, aut  
in vestiario haberent, concessit, ideoque & uxori ro-  
ganti ut pallam ex purpureo serico gestare sibi per-  
mitteret, respondit: *nunquam se commisurum ut sola*  
*auro pensarentur.* Holoserica autem veste primus ex  
Romanis usus est Heliogabalus. Itaq; quoties apud  
auctores, ante Heliogabali tempora habetur mentio  
Sericarum vestium, semper de subsericis intelligen-  
dum vult Salmas. Hinc patescit qualis differentia  
serici & bombycini admittenda est, scilicet: *Bomby-*  
*cina*

*cina* Coa erat, *Serica* quoque ex bombyce erat, sed ante Iustiniani tempora non satis nota; at *Serica* in Romanum Imperium inuenta, usus Coæ desit, hinc bombycina & serica ut Synonyma habita sunt, & nulla alia re distabant quam gentis ratione. Qui plura in hoc argumento desiderat, adeat Conrad. Diet. in Antiq. Bibl. V. T. Voss. de Idololat. Gent. Lib. 4. Salmas. in Exercit. Plin. & alios.

(a) l. 6. ad finem. (b) 2. Georg. v. 120. (c) l. 23. (d) l. 6. c. 17. (e) Hist. Animal. l. 5. 19. (f) lib. 2. Eleg. 13. (g) l. 4. c. 90. (h) l. 1. Annal. (i) Salmasius ad Flav. Vopis. D. Aurelian.

Atque hæc pro ratione instituti, de Materia vestium in genere satis dicta sunt. Nunc equidem operæ pretium esset, de vestitu qua singula hominis membra, nonnulla addere, quæ forte neque inutilia, neque injucunda essent; Sed hæc pluribus persequi, vetat cum res angusta domi, tum temporis breuitas. Si quando afflaverit mihi fortuna mitior, forte reliqua addentur, sin minus, hæc levia, Benev. LECTOR, boni consulas etiam atque etiam rogo, & in me excusando de iis, in quibus forte lapsus sum, vel quæ minus palato Tuo ardeant, esto exoratu facilis.

SOLI DEO GLORIA.



Ad  
*Virum - Jubenem*  
CANDIDATUM  
Humanissimum  
DN. JOANNEM NEELMAN,  
In  
REM VESTIARIAM  
egregie commentantem.



NEELMAN, amicorum dulcissima  
cura meorum,  
Quo mihi non unquam carior al-  
ter erat.

Ausus es O tandem nitidæ committere luci  
Uberis ingenii pignora pulcra tui.  
Forlan non fueras currendi percitus cestro?  
In culpa forlan res Tibi parva domi?  
Vera loquor: verumq; vides medicere utrumque;  
Cum venit, tardus fortè bubulcus erat.  
Attamen ingenuas didicisse fideliter artes,  
Magna Tibi, NEELMAN, gloria, gran-  
de decus.  
Exit in immensum fœcunda licentia VESTIS;  
Tu tamen ingenio singula rite tenes.

Qua

Qualiter Assyrio splendebat murice Lana,  
Quam tenuis quondam Byssina tela fuit.  
Quomodo ducebant Amianthi textile filum,  
Cujus honor rapido nullus abigne perit.  
Quamque magis vitâ prodest, quam morte ju-  
vabit,  
Molle gerens tergo candida vellus ovis.  
Singula ne referam: foret is conatus inanis,  
Singula NEELMANNI scripta polita do-  
cent.

Quæ Tibi erit merces? HONOR. at quæ præ-  
mia poscit

Virtus, post cineres sola manere potis?  
Tantum Te Musæ, Te tantum Phœbus amabit,  
Quantum Tu Sophiæ sedulus igne cales:  
Ornabuntque comas gemmis & virgine LAURU;  
Et decus æternum sic habiturus eris.

Upsalæ d. i. Nov.

A. 1703

*Gratulabundus ludebat  
cum omnigenæ pro-  
speritatis voto*

JOH. LINDER,  
*Wermelandus.*

Ad

Dissertationis hujus Gradualis Aucto-  
rem, Candidatum Pereximium & Moderatorem  
Studiorum meorum optimum :

GRATULATIO BREVIS :



*arte laboratas VESTES solerter adum-  
brans*

*Egregie excultum detegis Ingenium.*

Optime Præceptor Tibi tot felicia  
Opto, quot fulgent sidera clara polo! (fata  
Quos Tibi Castalides cupiunt decernere honores,  
In decus bos Patriæ dirigat ipse DEUS!

Honoris & amoris ergo lubens  
meritoque apposita

Ab

HENR. JO. FLACHSEN.

**Μ**ακαρίων τῶν προκοπῶν ἐν γράμμασιν κύριε  
διδάσκαλε, πᾶσιν μάλλον σοι συχαίρω,  
ὅσα ἐν οἴδῃ, ἐκ πειρῆς σε ὑποσπῶσεως, ἢ  
καθ' ἐκάσθην ἡμέραν ἀπλαύω, ἔμικρον συμ-  
φόρον εἰς ἐμὴ ἀναπλημμυρεῖν ὀπηνίκα δὲ ἐν τῷ  
τῷ ἀπαλῷ βίῳ ἔδει ἄλλο δύναμαι, θεῶν ἰκετεύω  
ὑψίστην ἐκ ἀνυποκρίτου θυμῶ, ἵνα βύληται τὰ  
τα σοι εὐχαιρήματα ἕτως διευτύνειν, ὥς ἐσε ποτὶ  
ἐλλογιματέραν καρπῶν τῶν πόνων ἐπιτυχάνειν.

ἕτως ἀπαιδεύτῳ καίτοι καλῶ ἀσ-  
μένως συχαίρειν ἔθελε

ἸΩΑΝΝΗΣ ΠΕΤ. ΦΛΑΧΣΗΝΙΟΣ.